



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Lipsi[i] Sapientiae Et Litterarvm Antistitis Fama  
Postvma**

**Lipsius, Justus**

**Antverpiae, 1629**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70662)




JVI. 24.  
3A

Jh. 6047

+

H

S H  
28



ERYCI PVTEANI  
LIPSIOMNEMA  
ANNIVERSARIVM,

S I V E

IUSTI LIPSI V. C. Laudatio Funebris,  
Die anniuersario habita.

Aa

OMNIBUS

REPTO PATENTI

ESTIOMNEMA

ANNI 1824

SIVE

Die Annenstiftung  
des Herrn Baron V. C. L. von Fuchsberg

22

AMPLISSIMO,  
 PERILLVSTRI,  
 ET  
 ADMODVM REVERENDO DOMINO  
 D. GEORGIO  
 AVSTRIO,  
 MAXIMILIANI I. IMP.  
 NEPOTI,  
 PRÆPOSITO LOVANIENSI, ET  
 ACADEMIÆ CANCELLARIO,

*Erycius Puteanus inscribo.*

**P**RODIT ecce LIPSIOMNE-  
 MA ANNIVERSARIVM, id  
 est, Oratiuncula quam dixi,  
 Perillustris & admodum Re-  
 verende DOMINE; & tuum  
 audet nomen vsurpare, apud  
 quem dixi. Laudes nescio, an Lacrymæ sint;  
 sed LIPSIO fusæ, & in tuum amantis ac lu-  
 gentis sinum. Equidem laudare tantum vi-  
 rum sine lacrymis non potui: & vix sine la-  
 crymis quisquam laudes eius audivit. Meum

A a 2 adfe-



adfectum in Auditoribus repperi: tuum illi  
 expressere. An quidquam potuit sanctius?  
 LIPSIVS tuus fuit, & tu LIPS I. cur tuus il-  
 le, Oratio mea indicat: dotes amasti quas ad-  
 orno. cur tu illius, in vestibulo hoc Oratio-  
 nis volo legi. Fucus & ambitio absint; STIR-  
 PEM tuam, VIRTUTEM, ERUDITIO-  
 NEM, DIGNITATEM, amavit, æstimavit,  
 coluit LIPSIVS: & nunc ego, nunc boni  
 omnes, ejus exemplo. Quid ni *Stirpem?* Ævi  
 Heroës AVSTRII sunt, & eminere, præesse,  
 imò regere nati, quidquid in orbe natum.  
 Atque hæc Familiæ sive laus, sive æternitas,  
 etiam tua; qui Familiæ nobilis ramus, *Virtute,*  
*Eruditione, Dignitate.* Vt stemmata desint, &  
 longo recuses

*Sanguine censeris, pictosq; ostendere vultus*  
*Majorum, & stanteis in curribus* AEMILIANOS;  
 triplici tamen isto radio AVSTRIVS es, & in  
 sacro Urbis & Academia Lovaniensis folio  
 inclytum avitumque Gentis nomen tueris.  
 Hæc igitur Dignitas, quam cum solo San-  
 guine mereri potueris, Virtute & Eruditi-  
 one maluisti. Addo Prudentiam, & rerum  
 usum; addo peritiam nostri & antiqui ævis  
 addo orbis, id est Imperii AVSTRII inspe-  
 ctionem. Nam quæcumque augustis æter-  
 nisque sceptris tui illi regunt, tu lustrasti: ter-  
 rarum

rarum mariúmque longinqua, velut domestica; aliena, velut tua. Sed huc reversus es: Belgicam, & Lovanium, vitæ & quietis stationem ratus; quia suam jam LIPSIVS elegerat. O occulta, sed benigna Faticonsilia, imò indicia! PRINCIPES Belgica AVSTRIOS habere & videre coràm cœpit, postquam te PRAEPOSITVM & CANCELLARIVM ex eadem Gente, velut minorem Principem, Vrbs ista & Academia acceperant. Sic igitur eodem nomine, eodémque sanguine nunc Aula se jactat, atque etiam Schola; nisi & Schola velut Aula sit à sidere quodam AVSTRIO & splendore. Aula; sed quieta, composita, sancta; quam Musæ, & Elegantiæ, & erudita Simplicitas incolatu suo ornant. Etenim fasces & tituli hîc quoque fulgent, non superbiunt. Fasces, sed Doctrinæ; tituli, sed à tuâ manu: & sic clariores, quia à tuâ. Ades ipse, & munus auctoritate Pontificiâ insigne obis, quod vicariâ alij operâ solent: tantò meherclè aliis major, quantò se minus alii munus suum arbitrati. Itaque insigniri doctrinarum fertis Juventus ambit, maximúmque studiorum præmium putat ab AVSTRIO insigniri. Etiam in vilibus minuta quædam æsumantur, pretijque pondus capiunt à donantis manu: quid ni hæc

magna, à te magno, cùm expletis spatij cultores bonarum artium scientiarumque scandunt Honoris limina, & Academicâ à te laureâ donantur? Liceat dicere: donaris ipse, & toties accipere doctrinæ videris præmia, quoties confers. Sed redeo ad LIPSIVM, quem tuum fuisse postumo liberalitatis desiderio testatus es. Nam quæ nostræ, aut Academiae partes erant, tu sumpsisti, promptus ponere monumentum magno illi viro & amico; quòdque majorem hîc laudem habet, pænè importunus. Sed heredes supererant, atque domus pars altera uxor ANNA CALSTERIA insignis matrona, quæ prima adfectu sciri in extinctum debuit, quippe in maritum. Sciri deinde S.P.Q. Antuerpiensis, & Regina illa urbium, velut altera uxor, quæ tamquam Larrem familiarem LIPSIVM coluit, sarcophago eundem complecti. Atque in hoc pietatis consortium, è longinquis oris, vir heröice virtutis ac nobilitatis PROCHNICIVS venit, iam pridem in viventem LIPSIVM liberalis, ut in mortuum quoque esset. Tuus tamen non sine effectu adfectus est,

— quòd diligis umbram,

*Et colis exsequias.*

Nam & SOLLENNIA ista curæ tibi fuère;  
& ut laud es ἑμακαεῖτε iterùm audires publicè,

cè, inque tuo templo, Extemporalis Oratio-  
nis moestum eloquium aures tuæ non spre-  
verunt. Velut instaurati doloris Mystago-  
gus, sparsisti publicè lacrymas, ut spectares.  
Sed meâ tamen maximè lugentis voce mo-  
tus, & laude extincti, λόγον μνηματίαν æstimasti  
quem habui: munere etiam misso, postquàm  
habui, tamquàm in vicem plausus. Et cuius-  
modi munere? benigno, litterario, gratuito,  
& cui THESAURVS nomen fecit. Iam ad  
quem? nec visum antea nec auditum. Equi-  
dem erubui ad tam promptæ humanitatis  
exemplum: cui nunc reponere LIPSI-  
OMNEMA ipsum volui, etiam in exemplum.  
Scient exteri, esse inter Belgas qui LIPSI-  
O, & post LIPSIVM bonis artibus honorem  
deferat: esse etiam, qui tali fautore bonis ar-  
tibus operetur. Viue & vale Perillustris &  
admodum Reuerende Domine, & STIR-  
PE, VIRTUTE, ERVDITIONE, DIGNI-  
TATE tuâ fruire. Lovanij, XIII. Kal. Iu-  
nias, ∞. IDC. VII.

LECTO-

L E C T O R I  
 LOCVM SENECAE PROPONO  
 EPISTOLA XI.

**I**AM clausulam epistola poscit: accipe, & quidem  
 utilem & salutarem, quam te affigere animo vo-  
 lo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac  
 semper ante oculos habendus, ut sic tam-  
 quam illo spectante vivamus, & omnia tam-  
 quam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili,  
 Epicurus praecepit: custodem nobis & paedagogum de-  
 dit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur,  
 si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus,  
 quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum  
 suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non ad spe-  
 ctus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem,  
 qui sic aliquem vereari potest, ut ad MEMORIAM  
 quoque ejus se componat, atque ordinet! Qui sic ali-  
 quem vereari potest, cito erit verendus. Elige itaque  
 Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige re-  
 missioris animi virum Laelium: elige eum (quem  
 nisi LIPSIVM dicam?) cuius tibi placuit, & vi-  
 ta, & oratio; & ipsius animum ante te ferens &  
 vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem vel  
 exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores  
 nostri se ipsi exigant. Nisi quae regulam, praeva non  
 corriges.

ERY-

ERYCI PVTEANI  
LIPSIOMNEMA  
ANNIVERSARIUM,  
SIVE

IUSTI LIPSI V. C. *Laudatio Funebris,*  
*Die anni-versario habita.*



QVOD alibi consuetudo, hîc pietas SOLLEN-  
NE facit, AVDITORES; luctumque publi-  
cum ferali pompâ instaurat, necdum remis-  
sum. Etiam funus nobis æternus ille LIPSIUS  
est, magnoque vulnere continuus quoq; do-  
lor adhæret. Sed quamvis adhæreat: nova, &

*Annua vota tamen, sollemneis que ordine pompas  
Exsequimur, struimus que suis altaria donis.*

O desiderium extincti! redimus ad luctum, quem nondum  
posuimus; ad lacrymas, quas nondum absterfimus. Non hæc  
SOLLENNIA, sed PERENNIA sunt, & magnis, heu! LIPSI  
unius Manibus debentur. Etenim,

*Ex quo reliquias divini que ossa parentis  
Condidimus terrâ,*

in squallore fuimus, Iusta IUSTO fecimus, laudes diximus,  
non more, sed mœrore. Quasi totius anni funus fuerit, exe-  
quias ivimus; & quem cottidie planximus, cottidie sensimus  
mori. Semel LIPSIIO parentare, satis non fuit: nec semel lau-  
dare, satis. Primus id fecit, piissimo vocis obsequio, Clarissi-  
mus IC<sup>us</sup> & Antecessor GERARDVS CORSELIUS, & in hoc  
ipso loco. Alij deinde, sed alibi: hic familiam, ille vitam, iste fa-  
mam & scripta, diviso veluti eloquii penso. Totum LIPSIVM  
nemo potuit, nemo poterit, nisi resurgat, faciatque ipse qui ex-  
tinctus. Laudari tamé vel sic debuit; ut cujus encomium mor-  
tales nullâ ingenii felicitate queunt implere, ejus facilius exem-

Bb

plum

plum admittant: hominem supra homines positum non de-  
 trecent imitari. Nemo quem agnoscit parem, sequitur: ve-  
 stigia placent, cum suspicimus. In L I P S I O verò summa om-  
 nia, summus ipse: quem exprimere ideò omnes velint, quòd  
 nemo possit, integrum nempe, & sine æmulatione cuique ex-  
 emplum, quia nemo attingit. Laudari igitur debuit, & hîc po-  
 tissimum, in meditullio urbis, & Divi Tutelaris æde, vbi tu-  
 mulum, si non habet, habere meruit. Etenim mos vetus ur-  
 bium Conditoribus ἀμφοτέρων τέρων in meditullio dabat: sed al-  
 ter Academię velut Conditor, consensu Belgarum L I P S I V S  
 audit. Item, in urbe, adeoque foro, præter consuetudinẽ, vnus  
 olim Trajanus sepultus, quia optimus Imperatorum: cur non  
 & hoc exemplo noster ille, quia optimus Eruditorum? Con-  
 temsit, imò rejecit hunc honorem, quem nihilominus inven-  
 nit. Tumulum hîc quoque, quia Encomium habet, & totã ur-  
 be sepultus jacet, qui totã urbe, imò toto orbe claruit. Ergo  
 jam adeste gloriosi Manes, vocis quoque meæ pietatem exci-  
 pite, quã instaurare iussus sum funebrem repentinæ Laudat-  
 tionis honorem. Sanè nisi iussus, tam repentinus esse nolim.  
 Iussus autem, quia rogatus, & ab eo, qui sive auctoritatem, sive  
 amorem respiciam, jubere poterat, vir eximius & magnificus,  
 Academiæ huius Rector IOANNES PALVDANVS. imò ius-  
 sus, quia sic Curatoribus placuit testamenti Lipsiani. Apud  
 Athenienses olim, referente Cicerone, *nec de mortui laude, nisi*  
*in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publicè ad eam rem consti-*  
*tutus esset, dici licebat.* Hanc legem dictam mihi censui; nefas  
 autem, cuiusquam exemplo violare. Nam initio, fateor, Silen-  
 tio, non Encomio ornare hæc sacra animus erat, & sciebam  
 pietate potiùs, quàm facundiã Manes delectari. Quia verò &  
 Laudatione indicare adfectum iussus sum, rogatusque, ne in-  
 fra Iuventutem L I P S I V M haberem, promptus adsum ma-  
 gis, quàm paratus, uti morem geram. Vos adeste quoque &  
 cognoscite, quanto difficiliùs L I P S I V S, quàm Iuventus; Vir-  
 tus, quàm indoles dicatur. Ego *Artè* ut pietatem meam pro-  
 bebam, oratione potiùs, quàm silentio peccabo, & malè laudabo  
 L I P S I V M, quàm tacebo. *Augeatur igitur* (verba Cicero-  
 nis usurpabo) *isto etiam honore* (honorem certè adfectus facit) *is*  
 vir,

Lib. III.  
de Legibus.

Philippi-  
cãx.

vir, cui nullus honor tribui non debitus potest. grati simus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam gratiam referre possumus. Dabo Lacrymas, dabo Laudes: etsi nesciam, utra magis in proclivi. illas volo, Etas reddo, magni doloris indices, ab animo velut fonte. Vos sinum pandite, sive mavultis urnulam: adfectum excipite, sed vestrum miscete, qui vidistis, qui amastis LIPSIVM, & quibus ille benè voluit aut fecit. A lacrymis ordior, & præficam lugubri carmine Musam ipsam facio, iterumque facio, ad tibiam, sed sine tibiâ canentem. Ergo querulâ voce Neniâ repetamus.

*Lætam, Musa, Lyram doloris udo*

*Conde murmure: Tibiâque prome*

*Aptam lugubribus Sacris, modisque.*

*Grata nunc PIETAS obire mentis*

*Suadet officium, FIDESQUE suadet;*

*Mæstâ Voce, Stilôque. nam suetas*

*Odit delicias Loquela; amatas*

*Odit delicias Tabella, & hœrnis*

*Urgetur lacrymis. nec sunt Loquela*

*Istæ delicia, nec sunt Tabella*

*Istæ delicia: at Feraliorum*

*Atrâ imagine vulnus, atque funus*

*Heu! magnum, miserum, atque luctuosum*

*Hæc Tabella refert, refert Loquela.*

*IUSTVS LIPSIVS occidit, virorum*

*Ille Maximus Optimusque; Musæ,*

*Et Suada, & Sophia decus vetusta;*

*Ille MORIBVS inclytus VETVSTIS:*

*Orbum lumine qui reliquit orbem,*

*Orbum numine qui reliquit orbem.*

*Lumen nam fuit ille Litterarum,*

*Numen & fuit ille Litterarum:*

*Ipse, Musa, Minerva, Suada, Apollo:*

*Heu! THALESQUE meus, Patérque sancto*

*Doctrinae melioris instituto.*

*Duram ô præcipitis necessitatem*

*Fatit, quæ violenter æviterni*



Carpit exuvias Viri Dei que,  
 Carpit exuvias mei THALETIS.  
 Quis desiderio pudor modusve  
 Tam cari capitis, Viri Dei que,  
 Tam cari capitis, mei THALETIS?  
 Largo proluitur dolore pectus,  
 Largo proluitur dolore ceras;  
 Et sulcos tremuli stili, frequentes  
 Pressi stilla animi replent, PIVMQVE  
 Laborem violant. Quid ergo? cesso:  
 Nec totum Tabula hauriet dolorem.  
 Vos mecum querulam mei SODALES  
 Vocem fundite, quot quot estis, omnes:  
 IVSTVS LIPSIVS occidit, virorum  
 Ille Maximus Optimusque; Musa,  
 Et Suadae, & Sophiae decus vetusta.

Sed nunc induciae paullisper doloris sint, dum animum col-  
 ligo, laudisque pango, velut ex uberi messe pauculas spicas, in  
 folatium, sive etiam exemplum aevi. Nequis Historiam expe-  
 ctet; Orationem orsus sum, sed qualem infelici eloquio, ob-  
 situm singultibus pectus solet eliquare. Cur excusem? equi-  
 dem in dolore sum; nec verè sim, nisi & esse Laudatio videat-  
 ur. Quem enim lugeo, laudo: & sic parcendum laudibus, ut  
 dolor minuatur. Ita parcendū; sed haecenus, ut compendium  
 sermonis, non adfectus sit, nulla injuria Famæ. Pleno elogio,  
 cum nomino LIPSIUM, laudo; & totum noscit, quisquis audit.  
 Aliis magni, & amicti cedant tituli, quibus iners, nec pro famâ  
 mens est; cerussa & fucò vultum, fraude animum mentiantur,  
 quibus colorem natura negavit. Sine titulo LIPSIUS ma-  
 gnus est; sine cerussa elegans; à se clarus, quia perfectus, & quem  
 ævi nostri Socratem mortales indigent, nisi meliorem Socra-  
 te, majorèmq; didicissent. Sed hoc, remotâ invidiâ, Poster-  
 i magis dicent, vix credituri, canescentibus demùm Naturæ an-  
 nis, tantum Virtutis decus affulsi. Altioris Genii virum, ævi  
 quoque facient; & quem vixisse MORIBVS ANTIQVIS  
 intelligent, Antiquis quoque natum temporibus putabunt.  
 Ille verò exemplo suo ostedit perennem Naturæ fecunditatem

&amp;

& æternam esse: omni ævo nasci viros bonos, non vivere. Ad virtutem natus, virtutem coluit: vitæ finem huc direxit, & vivendo pervenit. Prima & florida ætas, cum ingenium vernaret, Musarum fuit; summa Sapientiæ: & utramque celeri gressu Fama infecuta. Clarus esse LIPSIUS cœpit, etiam cum latere se censuit: Nomen prius invenit, quam quæsiuit; quasi auspicio quodam Doctrinæ jam tum sciri debuerit, qualis quantusque futurus aliquando esset. Sed nunc fuit, & esse tamen numquam desinet. Magnus, imò maximus fuit; ut esse apud omnem Posteritatem pergat. Quot libros (non enim liberos) tot imagines sui reliquit, quas nulla umquam annorum series abolebit. In CRITICIS, Ingenium, Iudicium, Eru- ditionem admireris: In EPISTOLIS, Candorem, Mode- stiam, Humanitatem: in POLITICIS, Prudentiam: in CONSTANTIA, Sapientiam: in omnibus, ut paucis ab- solvam, LIPSIUM, id est omnis perfectionis apicem, ho- minis Phœnicem, &, quemadmodum edito scripto Vir clariss. GAUGERICVS RIVIVS luculenter explicuit, REI LIT- TERARIÆ PRINCIPEM, Virtutis Dictatorem. In scri- ptis igitur vivit, imò vivet: & qui Filios non reliquit, Posteros tamen habebit, ingenii velut heredes & doctrinæ. Quod na- tura negavit, dedit industria. Sanguine esse æternus non potuit; ingenio erit. Divitias reliquit, quibus longum fruatur Posteri- tas; nec tamen fatietur. Historiæ desiderium plerosque torque- bit; & noscere tempora Majorum volent, LIPSIUS scripto- re. Sed hunc ille laborem prudentissimo consilio ultimæ & maturinæ ætatis seposuerat, tamquam optimum, tamquam decumanum. Hæc stili velut bellaria atque scitamenta Aeter- nitati promiserat; & nisi summo rerum humanarum Arbitro, & ut ita dicam, Stratego aliter visum, posuisset. Sed quid est? adornavit Historiam, non exhibuit: incohavit, non absolvit: & brevi illo ætatis curriculo ad tantæ virtutis fastigium eve- ctus fuit, ut scribi, non scribere, meruerit; laudari, non lau- dare: cum laudis materiam, dare facilius poterat, quam acci- pere. Itaque cum inœperit Historiam, gratiam destinationi debemus, quod perferibere voluerit; veniam forti, quod non potuerit. Nam finge, retardatâ fati necessitate, inter mortales

diurnasse, annorum numerum ad dexteram venisse; imò & librorum: profectò non expleisset tamen, sed irritasset desiderium bonorum; & melioris alicujus scripti stamen Parca incidisset; Fata fanda, imò scribenda abruptissent. Quiescat igitur, qui vivus non quievit; & vitæ finem, etiam laborum habeat. Nos verò, si expleri libris non possimus, legamus ossa; quodque promptissimum solatium, à scriptis ad auctorem ipsum mentem reflectamus. Etenim Posterì nobis hanc felicitatem invidebunt, quòd viderimus, quòd audiverimus L I P S I V M: imò rerum Naturam accusabunt, quòd tantum virum produxerit mortalem. Virum; quem aut omnibus seculis nasci oportuit, aut certè numquam denasci. Colent igitur memoriam Posterì; nos simul imaginem: nisi & nos jam Posterì, postquam præsentia suavissimæ vocis vultusque orbat. Sed hæret in oculis animisque, non tam imago, quàm L I P S I V S; & quem vidimus, quem audimus, abiisse nò arbitramur. Abiit verò, non dicam obiit; & ipsis quoque obrectatoribus (si qui fuere) carior clariorque, quia abiit. Quippe

*Virtutem incolumem odimus,*

*Sublatam ex oculis quærimus invidi.*

In remota & longinqua liberum ad spectum mortales mittunt, quietum adfectum. Quantus, quantus erat L I P S I V S, fieri nisi à morte potuit. Sed ò præposteram humanæ mentis conditionem! non amare, cum licet; frui velle, cum non licet. Verè ita est:

*Tum denique homines nostra intelligimus bona,*

*Cum quæ in potestate habuimus ea amisimus.*

Nos habuimus L I P S I V M, quem nunc demùm noscimus postquam habuimus. Habuimus, quem prece & pretio emere, suumque facere conati, quotquot Principes; imò quotquot Academia in Europâ. Ille sprevit aut neglexit: Patriam antehabuit: vivere Lovanii voluit, uti moreretur. Felix igitur ista humus, quæ tanti viri corpus in sinum suum recepit! felix, cui cineres ipsi lumen dabunt & æternitatem! L I P S I V M quidem urbs ista non genuit; sed tamen fecit, quia erudiit. Agnoscit etiam ille parentem suam, & cum ingenium nò potuerit, in vicem, claras corporis sui exuvias reliquit. quæ hæere potuit,

potuit, noſter eſt; & in urbe hac conſpicuus, quam incoluit. Non tam ubi quis incipit vivere, quàm ubi deſinit, natus eſt: non cùm ſumit animam, ſed cùm ponit, aut potiùs reponit. Nam quem nos ultimum vitæ diem vocamus, novæ & duraturæ natalis eſt. ideoque non naſcentibus, ſed denaſcentibus (ut ego quidem reor) monumenta & ſtatux ponuntur: & ſapientiſſimo ritu olim Thraces hominum dies Natales luctu & ejulatu, exequias gaudio & hilaritate proſecuti. Vivendum eſt, agendum eſt, vt Patriam mereamur. Lycurgus (vt Plu-

*ἀνείλε δὲ καὶ τὰς ὀπιθεαφὰς τὰς ἐπὶ τῶν μνημείων, πλὴν τῶν ἐν πολέμῳ πεσόντων, καὶ τὰ πένθη καὶ τὰς ὀδύρας. Abolevit & Inſcriptiones mortuorum, niſi ſiquis in bello cecidiſſet: item luctus & ejulationes.* O prudentiam Legiſlatoris! neſciri volebat, & inter non ciues, imò inter non natos haberi, qui pluris vitæ uſuram, quàm memoriam feciſſent; incunabula, quàm ſepulcra. Quafi Spartani, non Natali, ſed Emortuali cenſeri debuerint; non accipere Patriam, ſed facere; ne tanti nominis dignitas, ſorti potiùs quàm Virtuti deberetur. Patriam igitur in hac urbe L I P S I V S, quia ſepulcrum habet; & magnam vitâ, maximam à vitâ Famam exorſus. Si imagine licet uti, Diogenem liberrimi oris Philoſophum, & L I P S I V M verecundiſſimi componam. illum è dolio, hunc è tumulo; & utriuſque vitam, aut vitæ potiùs pretium arbitror. Diogenem Alexander cùm apicantem Corinthi vidiffet, acceſſit; & regiæ liberalitatis opem jacenti obtulit, ſiquid peteret. Ille verò, *Hoc peto, inquit, nequid eripias. Solem redde, quem intercipis.* Reſponſum Rex admiratus, imò veneratus, purpuram tot regnis victoriſque nobilem cum pannoſo palliolo, Regale ſceptrum cum Cynico baculo paravit. infra ſapietiam diadema habuit, pænè parem Alexandro Diogenem. Vox ejus apud Plutar-

*Εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἦμιν, Διογένης ἀνὴρ ἦμιν. Niſi Alexander eſſem, Diogenes vellem.* Sed ad noſtrum veniamus: à Cynico ad Stoicum, à Græco ad Belgam, à Philoſopho ad Sapientem. An igitur & ille Alexandrum ſuum habuit? Imò PHILIPPVM, optimum maximumque Regum, nec unius orbis Monarcham. Majorem illo M A G N O; quippe cujus votum imperio noſter ſuperavit. Adſit novus Anaxagoras, novosque & infi-

Inſtitutis  
Laconicis.

Oratione  
11. De for-  
tunâ Ale-  
xandri. Ire-  
rum 4. De  
Exilio.

nitos constituat inundos: nos dedimus, aut dabimus, qui sub-  
 jiciat ac regat. Quanti igitur L I P S I V M P H I L I P P V S fe-  
 cit? quanti Diogenem Alexander. Aestimavit Virtutem viri,  
 Doctrinam, Prudentiam; & quem subditum habuit, etiam  
 Amicum voluit, Imperiumque Lipsiano minus nomine se habere  
 confessus est. Non quidem Alexandri imitatione, Alexandri  
 illud expressit, Nisi P H I L I P P V S essem, L I P S I V S vellem;  
 sed indicavit. & alium dare P H I L I P P V M poterat, L I P-  
 S I V M ne quidem promittere. tantò facilius est, Regni he-  
 redem, quàm ingenii nasci: sceptrum, quàm stilum versari.  
 Imò tantò facilius, parem stirpi filium accipere, quàm factis  
 scriptorem. Aut Electio Regem, aut Successio facit; utraque  
 bonum, si utraque bona. Nos verò gratulari ævo possumus,  
 quòd in maximo orbis folio iisdem virtutibus sedentem Fi-  
 lium videmus, quibus & Patrem vidimus: quòd in Filio Pa-  
 trem recepimus, bonum illum, clementem illum P H I L I P-  
 P V M. L I P S I V M igitur P H I L I P P V S Pater, L I P S I V M  
 P H I L I P P V S Filius amavit, aestimavit, admiratus est: & fa-  
 ciente inclyto illo Principe ac Heròe F O N T A N O, Virtuti-  
 bus Victoriisque æterno, Historiographum Pater suum fecit,  
 Filius habuit: sed habuit, & maximum unâ regni sui decus  
 amisit. Ille decus; nos solatium, nos exemplum, sive Rempu-  
 blicam, sive Academiam intueamur. Erat enim

— doctus, fidelis,

Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,  
 Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum  
 Paucum, multa tenens antiqua, sepulta, vetusta;  
 Quis faciunt mores veteresque novosque tenentem;  
 Moltarum veterum legum, Divomque hominumque  
 Prudentem, qui multa loqui ve taceré ve posset.

Sed quid ago? dum elogium orno, dolorem exulcero. Laudi-  
 bus Lacrymæ cientur, semel repressæ. Aliò igitur flectenda  
 oratio; & hùc potissimum, ut superesse videatur, qui extinctus.  
 Vivit enim, & abjectâ mortalitatis sarcinâ, ad originem sui re-  
 versus est. vivit, & supra omnem invidiæ nubem positus, fa-  
 mâ fruitur quam meruit, felicitate quam quæsivit. Sine nocte  
 mortales diem non habent; nempe infimi aëris istæ vices sunt;  
 nec

nec sine calumniâ vitam, licet optimam: sic variâ aut iniquâ fluctuantium iudiciorû voces sunt, & laude contemptuq; virtus viventis cingitur, velut luce & umbrâ. Immortales animæ liberum & sine labe diem habent, cum sine labe emigrarunt. Novæ autem hujus æternæque lucis lætissimo auspicio, cadaver induitur, etiam veteri Romanoque ritu, cum involutum albo tegmine five sindone placuit terræ mandari. *Corpus autem hoc modo veteres ornabant* (Plutarcho teste) *quia animam non poterant, quam puram volebant illustremque prosequi, tamquam, peractio difficili varioque certamine, jam dimissam.* Sed quanto satius præsumere sibi & præstare pietatis hoc officium, & puræ vitæ lumine animum ipsum, caligine septum corporis, irradiare! Ut Magi olim, pari ferè ritu, aduersus Plutonium & tenebras lucido & illustri amictu se muniebant: sic viri Dei cupidi, aduersus mortalitatis horrorem se debent, Doctrinâ & Virtute. nisi faciunt, omnis vita mors erit, obliuio omne nomen. Inter homines homo paret Virtutis præsidium, quo, cum defierit esse, nitatur: adfectet Doctrinæ præmium, quod cineres sequatur. LIPSIUS verò tam diuinâ mente, tam sedulo conatu fuit, ut qualem vitam, talem etiam famam habuerit, dum vixit; paucorum, sed malorum vanissimis officiis tentatam quidem, non violatam. Virtute & Modestiâ, vicit calumniæ machinas,

— *per obstantis catervas*

*Explicuit sua victor arma.*

Virum divinum viventes viventem confessi sunt, & hominem homines velut numé aliquod admirati. Etiâ legit scripta de se elogia, imò libros, & *Posteritati suæ interfuit*, vitâ mortalis, at famâ immortalis. Sed istâ prælibatæ eternitatis dulcedine correptus, non corruptus, ad perfectâ Virtutis præmia anhelabat. Quid multis? trāsatus est, & vivere isthîc cœpit, ubi numquam desinet; clarere, ubi *nulla serenum umbra turbabit*. Oculis aut mente illustrem cæli imaginem usurpate, & sidus aliquod putate LIPSIUM, vicinum Deo, & magnis virtutum radiis coruscum. Isthîc est; hîc tamen resplendet: & hoc jam obscuriores hî cerei, hæ faces, quòd in tam illustris viri dolore luceant. Pro cereis facibusque Elegantiæ Lipsianæ jam postumæ sunt, quibus vel feralis iste lugentis Academiæ color

Cc

expu-

Plutarchus  
Questio-  
nibus Ro-  
manis.

expugnetur. Imò pro cereis facibusque ipsum cælum est, purum clarumque à novo & herno isto sole. Radios mittit adulti caloris, ut, gestiente velut horâ, felicitatem suam mortalibus declaret; lacrymas verò nostras, siquæ nascantur, reprimat; siquæ manent, exsiccet. Colligit faciem suam ipsa rerum magna parens Natura, nubibus & imbribus nuper deformatam. Faciem inquam, ut nos animum; & seriò tandem vivere eum discamus, imò lucere, quem lugemus. Itaque absit dolor,

*Absint inani funere nenie,*

*Luctusque turpes, & querimonia*

Inter Beatos confidet L I P S I V S; & qui ima despexit, meruit summa: qui Stilum & Sapientiam coluit, Divinitatem impetravit. Etenim, si fas scribendo, imò

*Si fas vivendo caelestia scandere cuiquam est,*

*Huic soli cali maxima porta patet.*

Ita dico, scribendo, & vivendo. Tales enim viri Mores, quales Libri: tale exemplum, quale dogma: ut scripsisse moribus, vixisse libris; docuisse exemplo, prævisse dogmate ad honesta omnia videatur. Præclarum incherclè, bonum esse, doctum esse: sed præclarissimum alios facere, cum ipse fueris. Vterque fuit L I P S I V S, & utrumque fecit: Beneficium agnoscamus, geminoque Laudis sermo monumentum ejus coronemus; & quòd perenni industriâ stipaverit divinum sapientiæ censum; & quòd stili vocisque libertate & liberalitate in omnem Juventutem sparserit. Modestiam, an Pietatem vocem? hoc totam ætatem conatus est, ne solus L I P S I V S esset; quamvis plures esse Natura negavisset. Nimirum hanc ille statuat, hanc imaginem adfectabat, ut in Auditoribus suis, Lectoribusque cerneretur. Sed profectò divinus ille tanti viri animus omni imitatione major; extra se imaginem suam non inuenit. Dare L I P S I V S Lipsianos potuit, Lipsios non potuit. & sicuti uni Soli æterni luminis beneficium stellæ omnes debent: ita soli L I P S I O genus humanum rectam & instauratam bonæ mentis Disciplinam. Plures hunc prodeunt micantque, accensis velut ingenii radiis, postquam unus ille occidit; qui lateretamen maluissent, ut unus ille luceret. Deus noluit: diem mortalibus subduxit, ut velut in nocte subluentium ingenio-

rum

rum imbecillitas notaretur. Quidquid sit: siderum quoque radii à Sole sunt: & à L I P S I O, quicumque sive docent hodie ejus exemplo, sive scribunt. Siderum, si non lumen, motus tamen & circumvolutio eadem est quæ Solis: Docentium, scribentiumque labor & desiderium idem quod L I P S I, si non Fama. Sic igitur laudo L I P S I V M, quem sequor: neque ideò, quia sequor. Insignis virtus laudem poscit, etiam ab ignoto; sed Possessor virtutis laudem negligit, poscit imitationem. Sequar Possessorem; nec dicam laudes, sed exprimam: tametsi exprimendo dicam. Magni enim viri cujusque conditionem perfectissimè celebrat, quisquis imitatur; cum in exemplum facta veniunt, atque etiam scripta. Sed Lipsiana veniunt: ideò magna, quòd difficulter exprimantur: imitanda potissimùm, quia magna. Ita, ita, magna sunt, quæcumque aut fecit L I P S I V S, aut dixit, magisque nunc erunt, desiderio extincti: imò magna fuit Academia ista L I P S I O, & erit (verum augurium sit!) desiderio extincti. Etenim, si annorum imago repetitur, jacentes vir optimus adventu huc suo artes erexit, languentes roboravit, exulantes restituit: ubi solitudo erat, frequentiam induxit. Longissimis itineribus, velut ad gloriosum seculi specimen confluebat Juventus; ad Apollinem Musæ. non provinciæ unius, sed orbis Academia videbatur: imò & videbitur, si verum & perennem adfectum induamus, L I P S I V M fuisse L I P S I V M ostendamus. Non ad pulpitem dicentis ac docentis, sed ad tumulum jacentis & quiescentis concursus erit. Legere L I P S I V M quisque volet, ubi scripsisse intelliget; cogitare, ubi quandoque docuisse. Libare vestigia suave erit; piium, præsentis adfectu tanti viri cineres venerari. *Movemur enim* (ut Attici sententiâ utar) *nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia.* Exemplum ipsius Attici videamus: *Me quidem, inquit, ille ipse nostræ Athenæ, non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione summorum virorum, ubi quis habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studiosèque eorum sepulcra contemplet.* Fiet in L I P S I O, quem tanti ferè est, conditum Lovanii, quanti docuisse. Non tumulum, sed Pharum lucentem censeo; & hoc splendore ad tranquillitatem bonarum artium

Cicero lib.  
11. De Le-  
gibus.



Iuventutem undequaq; convocandam. Quid, quòd ipse monumentum scripsit? & in ipso sepulchro loqui voluit, ut etiam extinctus doceret? Audite vocem, quam legistis: vocem, quam exteri omnes posterique legent, velut à Sapientiâ ipsâ profectam. verbis tumulum transferam, & legere epitaphium pietas mea audebit, ubi incîsum non est; colere monumentum, ubi positum non est: ut incîsum, ut positum hîc quoque videatur. Versiculi pauci, sed de L I P S I O, & L I P S I ipsius sunt. Qui viventis aliquando vocem audistis, extincti nunc quoque audite.

QVIS HIC SEPULTVS, QVAERIS? IPSE EDISSERAM.  
 NVPER LOCVTVS ET STILO ET LINGVA FVI;  
 NVNC ALTERO LICEBIT. EGO SVM LIPSIVS:  
 CVI LITTERAE DANT NOMEN, ET TVVS FAVOR.  
 SED NOMEN. IPSE ABIVI. ABIBIT HOC QVOQVE:  
 ET NIHIL HIC ORBIS, QVOD PERENNET, POSSIDET.  
 VIS ALTIORE VOCE ME TECVM LOQVI?  
 HVMANA CVNCTA FVMVS, VMBRA, VANITAS,  
 ET SCAENAE IMAGO, ET VERBO VT ABSOLVAM, NIHIL.

EXTREMVM HOC TE ALLOQVOR:  
 AETERNVM VT GAVDEAM, TV APPRECIARE.

Apprecemur A V D I T O R E S; etsi gaudeat: apprecemur, & annuo voto, non acerbum deinceps luctum, sed

— *cuncti lætum celebremus honorem.*

Lætum dico, tametsi in leto: quia verè lætari à leto ipse coepit, & *ἡρόδωσ* ei suâ frui. Vos autem ejus quondam amici aut cultores, non jam lacrymas, sed flores sparsum ite quos amavit. Tumulum L I P S I, hortulum videri, fas est: & inter odorum suavitates frigida illa Musarum ossa cubare. Sic vale, vale, vale L I P S I: nos te Naturæ ductu, cùm Deus evocaverit, cuncti sequemur.

P L A N X I.

ASSER-

ASSERTIO  
LIPSIANI DONARI  
ADVERSUS  
GELASTORVM SVGGILLATIONES  
à IOANNE WOVERIO Antverpiensi  
scripta.

MENANDER.

Οὐ δὲ διαβολῆς κατὰφρονεῖν, οὐδ' οὐ σφόδρ' ἢ  
Ψευδῆς· Πίσταντ' αὐξάνειν αὐτῶ τινες,  
Δι' ἧς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ' ὀρθῶς ἔχει.

*Calumniam ne sperne, vel falsissimam:  
Nonnulli enim artem illius augenda tenent,  
Quos propter illam si caues, recte facis.*

REV<sup>MO</sup> ET AMPLISS<sup>MO</sup>  
 DOMINO  
 D. IOANNI MIRAE O  
 ANTVERPIENSIVM  
 ANTISTITI DIGNISSIMO.

**R**EVER<sup>ME</sup> PRAESVL, Cuncti laboribus ingeniisque suis Patronos requirunt & inscribunt. pars ambitione pericita, non aliter paginarum suarum titulos onerant, quam lucentia pavonum colla natura ornauit. simpliciter alij famulantur, & obsequium se deferre nudam testatione profitentur. Ego sane ab illis tam alienus sum, quam cum istis non obnoxius. Nam Religionis si communem causam ad sacrorum nostrorum Praesidem defero, in tuo REV<sup>ME</sup> foro te iudicem appello; & sic officij munus sine ambitu nuncupo. At si LIPSI innocentiam, bono periculo ab inimicis tentatam, assero, non vicario iam aut cellam laxiore contentus, sellam potius & curule ebur ( praefiscine loquor) pro

pro argumenti dignitate effragito. Ah! eò  
namque ventum est; appetitur *contumelia*  
*amor*, & iam *summa flagitiorum voluptas est*, in-  
quinare *honestam*. LIPSIVM nuper in tantum  
VIRTUS & SAPIENTIA supra sæculi hu-  
ius mores eduxerant, vt non tam applau-  
dentis amicitiaë votis, quàm confessione vi-  
ctæ æmulationis, superiorum temporum  
priscis Heroibus adscriberetur. Imò securè  
etiam hanc famam apud malos habuit, quo-  
ad diuina non tractauit. sed vbi ad lubescens  
veritas, & piæ narrationis amor, stilum in se  
traxit: ecce inimicitiaë, sed impiïssimorum;  
obtreccionum, sed perditorum, tamquam  
procellosi aëris tempestates, in IUSTVM de-  
tonuerunt. Viuus ipse vidit partim & præ-  
uidit hos nimbos. Anne dolenter, & vti no-  
cituræ solemus? Contra sanè. nam ante su-  
premum illum & decretorium, sex tantum  
diebus, cùm ex magnâ Britannia allatran-  
tem hybridam audiisset; HAEC EGO PRO  
VENTO HABEO, respondit. Aliter non de-  
buit, nec potuit quidem, imperturbati animi  
tranquillitas, & ille SAPIENTIS talis status,  
qualis Mundi supra Lunam est. Igitur quid  
ingemiscimus, quid indignamur? & quem  
malignitati magnitudo decretorum, quem  
paucorum iniurijs bonorum fauor, orbisque  
terra-

rarum gratulatio eripuit, ane vindicare  
 vsquam, aut asserere possimus? Non Vir-  
 tuti, non Famæ, fateor. Sed pro Honesti  
 quoque intertrimento generosus suspirat  
 animus, & inlatam integritati noxam, suam  
 arbitratur. Quin etiam in LIPSIVM omnis  
 aduersantium acerbitas, totique laceffentis  
 inuidiæ ictus, vobis REV<sup>MI</sup> imputantur.  
 vestris enim auspiciis, ductuque sacrorum  
 Imperatorum, in Ecclesiæ castris militare  
 palàm cœperat. Itaque vulnera pro inimi-  
 corum voto si accepisset, tunc cum Philip-  
 pi Regis milite, non opes, sed opem meritò  
 sanè exigeret. Ille cum frigidè audiretur,  
 tardè acciperet; vestem posuit, & aduersi  
 corporis cicatrices ingrato Imperatori cum  
 exprobratione obiecit. præmium sic rettu-  
 lit: an quia meruerat? imò quia æquè for-  
 titer, atque pugnare solitus, petierat. Ab-  
 est à vobis PATRIBVS, hæc patris ægra li-  
 beralitas; magisque obuia, expositaque Ale-  
 xandri filij humanitas elucet. quâ, vti gesta-  
 rum rerum magnitudine, patre prior. Nam  
 cum militem ætate ægrum, de viâ fessum &  
 rigentem vidisset; properè descendit, iacen-  
 tem subleuauit, folio suo fouit. Idem hoc  
 velle, beniuolentia vestra est; posse, aucto-  
 ritas. Mei interim instituti erit, leuiter &

Dd in

in antecessum, veritatem in LIPSI0 defen-  
dere aduersus *novitiolam* infelicissimi æui no-  
stri *paraturam*. Deus

R<sup>ME</sup> tuam Præsidentiam Ecclesiæ nostræ,  
præsentiæ vrbi, diu fospitet. ita corde &  
animo voueo,

R<sup>MAE</sup> D. V.

addictissimus Cliens

*Ioannes VVouerus Antuerpiensis.*



LIPSIÆ

# LIPSIANI DONARI ASSERTIO.



MNIS ætas vidit, omnis affirmavit, nullam  
 lucem sine umbrâ esse, nullam magnam glo-  
 riam sine obtrektoribus. Quinimò vetus  
 hoc adeò verum, *nullum sine amatore vitium ef-*  
*se*, vt hodie virtus nusquam sine aduersario  
 consistat. O felicem L I P S I V M! tot calum-  
 niantium turbis, tam profundis inuidiæ tenebris ereptum, fe-  
 reno conditum, vnde tranquillè iam despicerè hæc humana  
 potest, quæ nec viuus vmquam suspexit. Sed in hunc, à quo  
 nemo læsus, nisi qui virtutibus offenditur, iam conuitia quo-  
 que stultissimis intexta poëmatis, & impiissima epigramma-  
 tia volant? Hem! (quis nisi cum risu indignetur?) post decu-  
 manas atrocissimarum calumniarum tempestates, iam vrbi-  
 cis poëtis, non deesse argumentum pelliceæ vestis? Talem  
 enim moriens LIPSIUS ad aram VIRGINIS-MATRIS  
 deferri iussit, venerationis suæ donarium, pietatis monumen-  
 tum. Verùm benè est, maliuolentiæ pariter & impietatis inge-  
 nium, hoc solum in quod arietaret factum, eruere potuisse. Sa-  
 tis gloriæ, etiam ab inimicis, immortali viro accessit, cum nisi  
 leuissimis carminibus conuitiari pietati possunt, quæ nisi pes-  
 simis semper odio fuit. Sanè ego omnibus perfectissimæ ami-  
 citiæ numeris adhuc viuo coniunctissimus, in primis indole-  
 rem, optimi & innocentissimi famam sic impiè lacerari, nisi  
 eam solidam esse, in se teretem atque rotundam,

*Externi nequid valeat per læue morari,*  
 omnium optimorum consensu didicissem: nisi latrantibus hi-  
 sce dentes, laniantibus vngues, ignauissimis denique vires de-  
 esse, tam in procliui mihi esset palàm facere, quàm imber cum  
 pluit. Agite, & horum pauca deliria mecum recensete, ita me  
 Dius Fidius, putida, & quæ à probis tam citò reprobentur,  
 D d 2                      quàm



quàm volpes pirum comest. Igitur breuiter: nec per totum errantis insaniam campum vagabor: at vbi vires suas iniquitas conduxit, & toto vti arbitratur acumine pugnat, ibi manus conferam, & non magno veritatis molimine, mendaciorum affanias prosternam. Sed ipsum nunc è mastigijs alterum audite. Festino. *Odiosa est Circensibus pompa.*

*Vidit homo frigere sua miracula Dina.]*

Imò vel maximè feruere hoc indicium est, quòd nimio vrant. Contra quidquid dissimuletis, iam populatim conuenitis ad excidium (vtri vestri testantur) exitiabilis incendij. Sanè è Batauiâ nuper, Germaniâ, Britanniâ quoque, tandem vltimus iste nefariorum, è Galliâ poëtafter, non aliter conclamarunt, quàm si Palatino Cælioque montibus coeptus ignis, materiâ & vento validus, non vrbi, sed orbi interitum minaretur. Hinc ecce Sparteoli currunt, concurrunt exterriti vigilēs, Sannio Batauus, Idolomastix impius, Veritatis dirissimus & mendacissimus Vindex;

*Ambubaiarum collegia, pharmacopola,*

*Mendici, mimi, balatrones.*

Solus Poëta deerat, sed qualis ego vel Cluuienus. Quid narrat Alastores? L I P S I superstitionem, idololatriam, Deæ lignæ cultum, Tunicam pelliceam;

*Nugas theatri que pueri sciunt.*

Quid pueri? nemo Catholicorum tam infans est, qui non veritatem tam nugalibus oppositam, cum lacte biberit nutricis. Nec magni etiam & graues viri defunt, qui enucleatissimis scriptis, nouatorum horum odia omnia, totasque iugulauerunt falsimonias. Ego aliquid vt retexam? non faciam. momentem salubriter \* medicum audio. Οὕτως ἀεὶ δυσἀπόβροτον κακόν ἐστι ἢ περὶ τὰς αἰρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλισσα, καὶ ψάρας ἀσώσιας δυσιατώπουν. Ad eò contentio hæc circa sceleratas malum est, quod nec auertas facit, nec eluas, idque omni scabie insanabilis. L I P S I donarium, & calumnia illud diffamans, mihi argumentum. Itaque illius tantum sincerissimam pietatem assero, huius verò insidiosam sinisteritatem deinceps auerto.

\* Galen. lib  
de Sectis.

IVSTVS

IVSTVS

I V S T V S L I P S I V S , D I V A E V I R G I N I S H A L -  
L E N S I S B E N E F I C I A E T M I R A C V L A ; i t e m  
D I V A E S I C H E M I E N S I S S I V E A S P R I C O L L I S  
N O V A B E N E F I C I A E T A D M I R A N D A ,

æternum duraturis litterarum monumentis posteritati sacra-  
uit. Hoc factum aduersarij dolent; ex amicis ( prudentiæ vti  
volunt respectu ) quidam culpant. Illi impietatis arguunt, hi  
exerrationis. Primorum causa ( heu nota nimis & publico  
Europæ interitu, detestata bonis omnibus! ) discedens in reli-  
gione opinio est, & pertinacissima nouellæ huius ætatis *Revolutio*.  
Insolens, me hercules, malum! nam etiam Deo & æuo præ-  
eunte quæ de superis didicimus, dediscere nos, non è cælo la-  
psi, sed nuper terrâ orti homines volunt. & nisi statim; ecce  
conuitia, discidia, odia, bellum. Itane? Non *Veritatis Regu-* Tertul.  
*la quæ venit à CHRISTO, transmissa per comites eius,* non ve- Apolog.  
tustatis consensus, & ad nos vsque descensus; non *Propheta, Præ-*  
*dicatores, Patres, à primordio in seculum missi, spiritu diuino inunda-*  
*ti,* nec tandem miraculorum ( quæ prima Christianam fidem  
induxerunt, & in omne æuum produxerunt ) iugis veritas &  
oculata testimonia, horum contra nouatorum insaniam, inso-  
lentiamque, stare audebunt? Iterum tamen multa horum, vnâ  
& facili falsitatis sententiâ absoluunt. Ita vt illud nunc maxi-  
mè dictum valere putes, *Nullam causam ita euidenter deferri* Quintil.  
*posse in forum, cui nulla ne mendacij quidem velamenta contingant.* Declam.  
Quid verò contrà sentiant, quid iterum dissentiant, passiuæ  
opinionum nubes, nebulæ, fumi fatis diffundunt. alioquin ni-  
hil horum etiam tam citò nascitur, aut subito perit, quàm in-  
fanientium istorum sententiæ. Soli olim chamæleonti datum  
de corio suo ludere, nunc istis quoque de fide. At miracula ve-  
stra, inquit,

*Gerra germana, atque ædepol lyra, lyra.*

Proh pudor! probus quispiam, ne dicam sanus, diem dixerit,  
diem non esse? Ego sanè cædo istos ( si pernegant ) non veteri  
tantum memoriæ, verum sensibus quoque suis indixisse, fi-  
dem non habere. *Cæcitatibus* ( doctissimus Afer scripsit ) *duæ spe-*  
*cies facile concurrunt, vt qui non vident quæ sunt, videre videantur*  
*quæ non sunt.* Sic aduersarij dum ne quidem suis oculis mira-

cula credunt, quid mirum si idololatrias in nos, dearum lignearum adorationes, aliaque febricitantium deliria deblaterent? Verum nunc altius paullulum sentinē huius originem persequamur. Olim & semper hæresium sollennis nota, & deflectentis à fidelium coetu erroris quasi tessera fuit, DEIPARAE-MATRIS odium. Nec miretur quispiam, improbè faciunt, sed non improvidè. Nam ut qui arborem euertere volunt, nō ramos eius minutatim amputant, sed truncum ipsum aggrediuntur & exciunt; sic isti quibus Religionem & Ecclesiam perdere consilium est, hanc, à CHRISTO radice & primo trunco secundarium fulcrum, agitare & exciunt semper conantur. Hinc priscis statim primisque fidei temporibus, virginitatem aliquis detrahit, alius ipsam prolem; & repperisse eam, non peperisse, tartareā voce euaporat: tertius, non peccatum, sed peccata affingit. Denique, ut nostri sæculi quasi senior impietas, longè præteritos illos superaret furores; ecce nuper in Germaniā monstrum, hanc *Sole amictam*, & in quā *macula non fuit*, infra uxorem suam abijcere, aut, ut veriùs dicam, familiare suum scortum, non veretur. Heu scelera, heu impietas! quæ nos tamen mente & adfectu execremur potius, quàm acri sermone refutemus. Nam quid opus? Sicut is qui solem tenebrosum dixerit, nihil lucis illi detrahit, sed insanie opinionem sibi adjicit; sic pariter istæ nigræ noctis & profundo Erebi emergentes aues, splendorem huius Matris non minuunt, tantum animi sui diritatem, mentis cæcitatem reuelant. Pura est enim VIRGO-MATER, speculum sine labe, lilium inter spinas, hortus conclusus, lucerna luminis inextincti. Et nōne talem esse oportuit, in quā clauderetur, de quā egrederetur puritas & splendor ille æternus? At ponamus istos vel liberè & de pectoris superfluente nequitia ad insanum modum omnia eructare, quid præterea adferent, nisi CHRISTI IESU gloriam MARIÆ cultu & honore inhonorari? Siccine? & cum Dominus glorificetur in Sanctis; MATRIS-DEI exaltationem, prædicationem, inuocationem, Idololatrię execrabili crimine defœdabitis? Nam de statuis si id nobis adfingitis, ò impudentem, post tam claras certasque Catholicorum rescriptiones, proteruiam! Denique etiam contestari iuvat *in sugillationem,*

*tionem, & originem, & traditionem, & sententiarum argumenta,* Tertull. de  
Test. ani-  
mæ.  
*per quæ recognosci possit, Ecclesiam in cultu M A T R I S - D E I,*  
 imaginum veneratione, miraculorum fide, nihil nunc aut no-  
 uum aut portentosum suscepisse. Denique à constitutâ religio-  
 ne, summos viros præcipuâ hæc semper dignatione habuisse,  
 euidentissima veritas euincet. C O N S T A N T I N V S Magnus  
 Imp. sub quo caput primùm extulit libera pietas Christiano-  
 rum, huic se D I V A E deuouit; nec se tantùm, sed nouam etiam  
 suam Romam Constantinopolim, in quâ templum fabrè &  
 splendidè exstructum (nec id sine miraculo) M A R I A E con-  
 secrauit. *Ioannes Comnenus* ibidem Imp. partâ ingenti victoriâ  
 de Persis, & hanc & alias M A R I A E acceptas retulit: & piâ  
 quadam demissione, imaginem eius in curru triumphali im-  
 positam ipse pedes antecessit. Plura in Græciâ exempla sunt:  
 quid apud nostros? *Henricus II.* Imp. Bauarus eximius fuit in  
 D I V A E huius cultu, cui templa passim & aras exstruxit. Idem-  
 que *Dagobertus & Carolus Magnus,* Gallix Reges. Principes vi-  
 ros enumeravi: dabo & doctrinâ claros? Prodi tu *Ioannes Da-*  
*mascene,* & scriptis nobilem dextram tuam ostende: abscisam à  
 Tyranno, precibus Patronæ Virginis recepisti. Tu Beate T H O -  
 M A *Aquinas,* decus vtriusque Sapientiæ, diuinæ & humanæ,  
 qui perpetuam Castitatem sine libidinis vlllo sensu, acceptam  
 profitebaris à M A R I A. Tu *Ruperte Tuitiensis,* qui antea bar-  
 dus, stipidus, in lumen & gloriam Germaniæ surrexisti, alle-  
 uante hac D I V A. Nunc obstrepite hîc omnes Hæreses, fren-  
 dite, fremite, qui verè hanc humani generis matrem velut sco-  
 pum destinatis linguarum procacium sagittis. At nobis, ô te  
 beatam, & verè eximiam super omnes Sanctos mulierem, stat  
 fortiter laudare, piè colere. Tibi enim, ô cæli, terræ, maris Re-  
 ginæ, Patriarcharum dignitas fasces submittit; tibi Prophetarum  
 diuinitas, Apostolorum auctoritas, Martyrum laurea,  
 Virginum candor, ipse Angelorum splendor contigit. & om-  
 nium cælestium chorus proximam à creatore, te creatoris sui  
 matrem laudando celebrat, concelebrando exclamat: *O verè*  
*benedicta Virgo, quæ & virginitatis possidet decus, matris & per-*  
*tulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit*  
*gratiam, & sustulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ &*  
*diuini*

Petrus  
 Chrysolo-  
 gus Sermo  
 nec XLIII.  
 scripsit an-  
 te mille &  
 centum an-  
 nos.

diuini germinis suscepit gloriam, & Regina totius extitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior calo, fortior terrâ, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portauit eum, qui portat orbem: genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem. Sic cæli quoque serena templa, & in istis æternæ beatitudinis consortes animas, CHRISTI-MATRIS perennia decantare præconia, antiqua sensit Ecclesiæ veritas, & nullis erroribus permixta maiorum pietas. Futiliter sic obgannit nebulo quispiam, & illi à prioribus decepti, vt ab istis nunc vos, qui vt pecora sequimini antecedentium greges: O quicumque ante nos nihili homines, quàm altis sopiti sepultiq̃ue erroribus, quàm non istâ fidei luce effulserunt! Nos verò Dei spiritus animauit, nos singulari veritatis viâ fides ducit. En omnis hæresis certissimum germen, mendax præsumptio. Ego sanè, nisi Religionis robur satis hoc nouitatis odium confirmaret, malle cum præcis & pijs errare, quàm tantæ vanitatis inter Thraones verum videre. Sed ne extra orbitam. Olim, vt dixi, cultus MATRIS-DEI Ecclesiæ placuit, quia Prophetis celebratus: *Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quia Apostolicis etiam Euangelicisq̃ue in rextus visibus: *Et signum magnum apparuit in calo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Tandem etiam quia cælestibus decantatus vocibus: *Quæ est ista, quæ ascendit è deserto, delicijs affluens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Sunt & aliæ innumeræ, indubièq̃ue sacrarum paginarum auctoritates. Contra has tamen vnus & alter vinosus, furiosus, nec probris etiam sæculi satis notatus, perstrepit: His adhærete, vetera spernite; hoc est, cælum deserite, ad ima tartara properate. Desino cum impijs; venio ad amicos, amiciter pro amici famâ sollicitos, & hanc Diuarum scriptionem, *Δις ἐβίπριον* habentes. Hisce priuatim, publiceque (quod res est) rescripsit, historico filo se scripta ista texuisse. Iterum tamen non probant hoc argumentum in Philosopho. Sed quæso ferio, & extra iocū aut bilem. Quid magis pro philosopho, vel veterum philosophorum sensu, quàm illa quæ sunt asserendæ diuinitati? Platonicos & Stoicos audite: nonne à prodigijs & miraculis numen & eius potentiam

tiam validissimis tamquam argumentis adstruxerunt? Historias legite omnis aevi, sacras & prophanas; nonne miranda facta, & quæ potentiam humanam excedunt, D E O tribuunt, & Geniorum ministeriis adsignant? ergo de euentuum causis philosophus disputet, nam de ipsis non potest, & quomodo-cumque ad altiorem potentiam & totius naturæ caput Deum ibit. Atqui de Geniis, & nos ad beneficos & salutare nostros ducimus, fidei sacramentis nihil refragantibus. Denique hac vnâ miraculorum re diuinitatem adstrui, Christianitatem corroborari, arbitramur; & frena iniici impietati & ἀσεβείᾳ. Verum nec sic philologum ea decent? De philologo omitto. pro philosopho ritè & scitè Synesius respondet, τὴν ἀσεβείαν ἐκ ἀπόβασις ἐστὶ φιλοσοφίας, ἀλλ' ἐπανάβασις. Pietatem non esse descensum à Philosophiâ, sed ad eam ascensum. & ita est, si veram quærimus: si non disputare, quod hodie obtinet, & instar hirundinum in scholis strepere; sed sentire & viuere ex philosophiâ volumus, & salutaribus eius monitis adstringi. faciamus. Ego redeo ad nostrum versificatorem, sic mugientem quasi cùm ouiculam lupus vorat. Quid mirum? carmen eius in fine laborat.

*Crassâque pro calido stragula thure dedit.]*

Cùm frigerent, inquit, miracula, thus calidum subduxit, & substituit crassâ stragula. conuenientia sanè. Accipe rei gestæ narrationem impie. Iam L I P S I V S, mortalitatis lineæ vicinus, optimam pellibus suffultam tunicam, professionis suæ & muneris adinistram, gradus etiam & dignitatis quasi trabeam, Diuæ Virginis ad aram deferri voluit, & offerri vsibus aut necessitatibus sacris. Quid ringeris? nouum ne aut inusitatum antea præstitit, & quod à L I P S I O exemplum capiat? Priscus sanè in Ecclesiâ mos, & à maioribus nostris nimio vsitatus; Donaria à viuis, morituris, denique & mortuis, in templa mitti, recipi, reponi. Sed ne ab vno paxillo calumniæ tuæ pendeat cribrum: accipe alterum, alterumque L I P S I A N I T E S T A M E N T I ipsissimis verbis.

*Pateram duplicem inauratam, Constantiam dictam, do, lego templo Patrum Societatis. pro me orent.*

*Item libri scripti veteres, in membranâ aut chartâ, item libri*

*Ec*

*Graci*

*Græci omnes cusi aut scripti, Collegi Societatis IESV hîc sunt.*

Nec Franciscani, Cappucini, Sodalitas B. Virginis, aliique Religiosi, decedentis liberalitate præteriti fuere. Iam scio infurgis. utque solet aridis pinguidisque auctus ignis, vel summa tecta lambere, & altissimis exitium minitari; ita tuus nunc furor ignescit magis, magisque flammescit. Sed sustine quæso. *Cantharum accipe, ignem extingue; si cor urit, caput ne ardeat.* Olim dixi, *cum sacra, religiosæ, castæq; fuerunt res omnes, pluria facris collata semper munera fuisse.* Testes requiris? in manibus, vsibus, oculis sunt. Aspice hæc vndique laterum in cælum surgentia, turrium, templorum, aliaque piorum culmina fastigiorum. nihil nunc tam augustum, quod ab origine sui non fuerit pietatis donum. Ingredere: ornata quæ vides marmore, auro, ebore; quæ instructa tabulis, aulæis, vestibus, quæque omni cultus genere rutilare admiraris; hæc singulorum liberalitas est: & viuus dedit, aut moriens legauit. Quid subsannas? & verso pollice totam hanc quasi gladiatoriam manum iugulas? Hem contra erit: nam ego tibi, velis nolis, rudem extorquebo, & vel vnâ antiquitatis assertionem, te ad tui miserationem, Deo fauente, ducam. Nec externæ fidei ad redarguendum opportunitatem dabo, vernacula te tuosque veritas conficiet: nec è plebe aliquem quem pedibus trahas, sed primario fulgore sublimem: nec studiis vacuum, non quod (ut ille ait) *Litteratura omnium virtutum maxima sit, sed ut contra te stare scias, cui viuo hoc famigerabile laudum præconium contigit: Non extat ad præsens viui hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac superuadere. Est enim tibi opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietates in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis.* Quid respicis, & quasi de L I P S I O dicta putas? R E M I G I V S is fuit eximie eruditionis, inclytæ virtutis, sanctitatis maximæ Episcopus Remensis. Ille est, (ô grata agnosce Gallia!) cui Christi fidem, Reges tui religiosissimi, & longo successionis ordine præfulgentes, post DEVM, debent; à quo per spatia ampla regni, tot annis illibatum religionis lumen fulgere cœpit. Is, inquam, morti per ætatem & incerta humanarum vicinus, supremis tabulis sic postumæ voluntatis

Sidonius  
Epist. lib.  
ix. epist.  
111.

luntatis suę ordinationem inscripsit. Lege; sed hac lege, ne gra-  
uissimorum tractatorum aduersus fidem, ne Remensis Eccle-  
się tutissima contra archiua, veritati obstrepas. Ego Remigius,  
Episcopus ciuitatis Remorum, sacerdotij compos, testamentum meum  
condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si  
iuris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius Episco-  
pus de hac luce transfero, tu mihi heres esto Sancta & venerabilis  
Ecclesia Catholica vrbis Remorum. Prodi nunc tenebrio, quisquis  
es; & in hanc lucem claram certamque, vel cæcutientes tuos  
erige oculos. Remigius totum semel patrimonium, omnium  
põst sæculorum summã cum laude, Ecclesię suę dedit; vni-  
cam L I P S I Y M tunicam, aliaque pro fortunæ viriculis mu-  
nuscula in Ecclesiam pariter conferre, scelus erit? Sed si tanta  
tibi innata vecordia, vt fas omne nefasque tibi lusus sit, vt pel-  
licæ togæ tenuitatem canino pergas suspendere rictu; vel in  
agnitionem veritatis te euangelica illa lux ocullet, quæ stipem  
erogantis pauperulæ, pretiosis magnorum donariorum cu-  
mulis præposuit. Nec à Remigio tamen recedo, cuius vnum  
fanè è multis & religiosis legatis, fideliter describo. Vas argen-  
teum triginta, & aliud decem & octo librarum, inter te heres mea  
& Diocesim Ecclesiam Laudunensem, factis patinis atque calicibus  
ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente distribui.  
Aliud argenteum vas decem librarum, quod mihi sæpè nominatus  
Dominus, illustrisque memoriæ HLudouicus Rex, quem ( vt præ-  
dixi) de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, vt de eo  
facerem quod ipse voluissim, tibi heredi meæ Ecclesię suprã nominate,  
iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari; & epigramma-  
ta, quæ Lauduni in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribi vo-  
lo. Quod faciam per me, si habuero spatium vitæ. En Donarium,  
Thuribulum, Epigramma in calice. Tu contrã epigrammate  
donaria eludis; thuri, crasso straguli acumine illudis. Sed quin  
illud quoque legis, vt pudorem habeas, vt tuum impietatis fu-  
rorem, Remensis Remigij sanctitatis feruorem agnoscas.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,

Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus.

Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Vtinam tibi bonam mentem! quam vel perfunctoriè hîc te

E e 2

habe-

\* Hinema-  
ri, Floardi,  
aliorum-  
que.

Nôta emu-  
le nascentis  
in Gallijs  
Ecclesiæ  
statim  
opes.

Floard. hi-  
stor. Re-  
mens. Ec-  
clesiæ.



habere vellem, & conferre materiam, sententiam, & vtriusque poëmatici ingenium instinctumque. Non ita loliginis succus lacti distat, quàm hirriens tua & spernax contumelia mulcedini sanctissimi Vatis. Tuum furiali tumore exuberans, tamquam pestilenti sidere lectorem afficit, istud pietatis vberibus manans distentis, religionis melle, & zeli sesamo sparsum, blanditum auribus animisque illabitur. Si diuersitatis causam requiris; accipe istam. Fidem, quam Remigius, operoso pietatis remigio, Gallijs inuexit; quam Christianissimi Reges, sublimi maiestatis elogio suis præscripsere titulis; quam mille centum & sex in hunc diem anni venerandâ perpetuitate deduxerunt, hanc tui & tu educere conamini.

*Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia?*

Sed ne post donaria, thura, epigrammata, miraculum desideres; iterum crede, & cede tandem. Spero facies. nam acetum Punicum nõ sic Alpium solidas laxauit compages, quàm hæc miranda & beneficia, licet vetera, caucasias nouatorum mentes. Remigius HLudouicum prophano gentilitatis errore liberabat, CHRISTO salutaribus abluendum aquis præparabat; cum nec miraculum Fidei SIGILLVM, magni Regis, magni deinceps Christiani populi, salutis incunabula destituit. *Nam cum fortè qui Chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subito non alius sine dubio, quàm sanctus apparuit Spiritus in columbæ visibilis figuratus specie; qui rutilanti rostro sanctum deferens Chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, undas fontis sanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo.* Heus fodes, annuis? Noli aliter. nam alibi tutò nugaberis. hæc miraculi fides sæculis cognita, cæremonijs sacris & Regum sanctitati coniuncta, non sacrilegum tantum te, sed & furciferum faceret. Ergo vel operi caput, si erubescis: & Remigium Franciæ apostolum, Regum, Galliarumque; populi assertorem, calicis, thuribuli, tot prætereà donariorum largitorem, sacrosancti Sacrificij mystam, omnis sanctitatis exemplum, deinceps nobis, imò vobis magis concedito. Superstitionem deinde, Idololatriam, togam pelliceam, aliaque ad summam caueam spectantia, vltra ne diffamato. Contra, & rationis planè èntò τὴν τὰ θεῶν facere si pergis, *Quiritium fidem inuocabo, &*

te

Aimoinus  
de Gestis  
Fræcorum  
lib. I. cap.  
XVI.

te non L I P S I O, sed fidei publicæ, mille centum & suprâ annis, omniumque Regum felicissimæ successioni, conuitium dicere clarissimis argumentis euincam. Nunc transeo, nec lucem in meridie accendere pergo. Toga te tantum L I P S I A N A postremum obiurget; quæ postmodum, proprio nullo usu, aræ aut sacris apta, non magno nimis ære, Cl<sup>mo</sup> Antecessori *Gerardo Corselio* Ic<sup>o</sup> Græcâ & Latinâ litteraturâ instructifimo viro cessit. emit in amicissimi memoriam; nec sine eâ accipit, vel ponit. Pecunia adscripta rationibus aræ D I V A E V I R G I N I S L O V A N I E N S I S.

**N** V N C anonymus alter incipit. Sed prius qualis aut quis sit, an ater, an albus, sedulo inquiram? nihil opus: nam priorem sanè illum colorem ab inuidiâ, hoc est naturâ, ducit; à moribus, hoc est scripto, ostendit. nemo candidus, & sic probus, tam irreligiosus alumnij, fato compositum L I P S I V M lacefferet. Tamen præmoneo ex oraculo prudentissimi Historici; *Pessimum inimicorum genus, laudantes esse.*

*Politiorum amator ille verborum.]*

Cautè, hem caue, dormitator iste adludiat. Fama, de Sirenibus sic fabulam instruxit: dulcè illas canere, in soporem nauitas vectorésque dare, mox mergere & vorare: idem iste, sed frustra tentat. nam fallere dum cupit, semel verum dixit. Quod nec ipsi tribuas velim, cui numquam nisi de mendacio rectè credideris; sed veritati tam certæ, vt nec doctis eam dolis zonarius subuertere possit. Benè hodie, & è tripode vir magnus scripsit, sensitque: à nemine nominari L I P S I V M, quin prius laudetur. ergo L I P S I O conuitium dicere nullus nisi illaudatus potest. Politiorum, audi Liuor, æuum nostrum, nec maiorum habuit: Latinitas, Perspicuitas, Ordo in scriptis; sed, meliori adhuc elogio, Tranquillitas, Modestia, Humanitas in moribus: vltimo denique optimoque præconio, Prudentia, Sapientiâ, Virtus in animo. hisce gradibus, *superata tellus astra donat.*

Tali, tantoque, sic scurriliter tamen iste adlatrare tandem definit:

*In morte fecit LIPSIUS solæcismum.]*

Io triumphum! non ita ad liram asinus, quàm ad hunc solæcismum barbarus noster exultat. Enimvero talem hunc adfirmabo esse? imò huiuscemodi, quotquot sunt Scythis & Massagetis omnibus inhumaniores. Ultimæ feritatis legem apud quasdam gentes seruari Satyricus scripsit, scilicet ut à propinquis suis consumerentur defuncti. Hi verò alienum etiam, extraneumque rodere sustinent mortuum. Illos lex & affinitas excusare poterat; hos ingenita acerbitas, & naturale odium, in deterrimum impellunt facinus. Adde ignaviæ ingenium, quod iacentibus insultare solet, & ideò se cruore maculare, ut pugnasse videretur. Tamen quàm in irritum horum omnium tela, sicæ, dentes cadant, vel ipsi nunc iudicent, quibus non veritas, sed pudor, mentiendi libertatem subduxit. XV. Kal. April. è tussi, grauissimisque substilli cerebri defluxionibus, LIPSIUS ægrè esse cœpit. Mensis anni Martius, qui cæli in se vertentis cardine commotior, morborum periculis, aut mortalitatis damnis famosus esse solet. Noster licet iam ab annis vernaculâ & quasi domesticâ valetudine tentaretur; tamen ista fallere non potuit suspicacem, & in ipsam iam mortem propendentem diu antea ex sapientiâ animum. Quin illud elegantissimi scriptoris celebratum sepius haut deerat: *Non magno apparatu, aut exquisitâ molitione opus esse, ut corporis atque animi infirmo vinculo coherens societas dirimatur.* imò, Varronis scito, *Homo bulla est;* eò magis senex, & æger, & cui mors diu votum, pœna numquam, aut terror fuit. Itaque tunc malum indies ingrauescere, color, calor, vires & vita labascere: denique lecto LIPSIUM affigere, hoc est leto assignare. Quod fanè (omnes qui interfuere nouissimis narrant) totius antea vitæ tranquillitate & prospexit pariter, & excepit. Iam olim cum Augusto *Ὀδυσσεύς* sibi & suis exoptare consueuerat, liberum etiam in illâ necessitate, & intrepidum animum, utrumque votis accidit. nam vnis tantum quatuor diebus summum hoc egit, MORI: cum adiumenta sic vitæ prius omnia, ut olim blandimenta spreuisset. Animi firmitudinem Sapientiæ decreta, sed magis Christiani roboris constan-

tia

tia perficiebat. nam de illis, cunctisque humanæ scientiæ artibus, quid tunc censuerit, hinc æstimemus, quòd toto mortis tempore, nec scriptorum à se, nec studiorum vllum omnino verbum fecerit. Inòdò cùm solaminis à Stoicis magnam illi materiam superesse quispiam diceret, *Illæ sunt vana*, respondit, digitoque in CHRISTI crucifixi propè adstantem imaginem intento; **HÆC EST VERA PATIENTIA.** mox magno spiritu subiiciens; *Domine IESV da mihi patientiam Christianam.* Morbi statim inualefcētis principio, prima illi cura fuit, sacris Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, purgari, muni-ri, foueri mysterijs. Denique vno in pietatis actu, piorum precibus incessabiliter expetitis, ipse etiam (ægrè licet) ad pias supplicationes, iam fugientes vitæ vires reuocare. Sic etiam **DEI-MATREM** inuocare, cùm religiosè quispiam dixisset: *Ecce, nunc illa patrona clientem exspectat suum, & obuijs expansisq̄ue occurfabit vlnis.* Tunc renidere noster, & in altum oculis manibusq̄; moribundis sublatis, sic piè precari: *O Mater DEI, ad sis famulo tuo, cum totâ aternitate decertanti, & non me deserat in hac horâ, à quâ pendet aterna salus anima mea.* Semel quoque iterumque auditus est sibi gratulari, *se illo anni tempore migrare è vitâ, quo CHRISTI sanguis maximè in Ecclesiâ ferueret.* Cùmque sacri ordinis vir amicus referret, sacrificium Missæ illâ die interpositâ Passionis Dominicæ recitatione oblatum fuisse; summæ pietatis hac voce calidè respondit: *Faxit Deus, Pater mi, vt sanguis ille pretiosus in me abundè deriuetur, qui in illâ passione effusus est.* Sed quò ab eo? Tène I V S T E, tuumque innocentis animæ supremum spiritum hisce Diui Stephani verbis, **DOMINE IESV ACCIPE SPIRITVM MEVM,** inuolutum, vltrâ comitari conabor? O feliciter excessisti! Te cælum (piè vouemus) recepit:

*Hoc solum longæ pretium virtutis habebis.*

Sed noster hic dolor, nostrum vulnus. nos cum laruis luctantes, sola constantiæ tuæ memoria, contemplatio probitatis, & qui vni tibi propemodū contigit, ex Sapientiâ modus, recreare possunt. Non vltrâ, scimus, hæc mortalia te tangunt, aut angunt: verùm noster per obiacentes hæc odij & maliuolentiæ angustias non aliter amor eluctatur, quàm suspena aquarum moles

moles per obstantia ebullit. Vel ut deinceps te negligas, nostram nos causam aduersus impijssimæ calumniæ & vltimæ infaniæ hunc furorem deserere possimus? Simulabat, inquiunt sycophantæ. O inuidiæ ingenium, non flagris, sed flammis expurgandum! Ideo ne scilicet, quia orientis & progredientis fidei institutis institit, quia antiquis Ecclesiæ moribus piè vsus, quia inter diuina deficientem animam Deo reddidit, Cælo religionem, Sæculo fidem mentitus est LIPSIUS? Quanto vel gentilitas æquiùs censuit, dum *nihil à morientibus fingi, nihil vitâ laborante simplicius esse*, dixit. Nulla vniquam tam dura seruitus, quæ vltimi huius articuli libertatem subiugauit: vnâ hac teste innocentia constat & gloriatur. tunc conuitium tyranno dicere imbecillis vel ætas, vel sexus non veretur. Contra insatiabilis sæuitia inclamat, *Ita feri ut sentiant se mori*. Tamen omnem adhuc crudelitatis industriam, hæc Calumnia facile post se relinquit. Illa ignibus vrit, ad bestias impellit, in metalla damnat, in insulas relegat; sed mox hæc mortalium mala, vna dissoluit mors, in luctu miserisquæ requies omnium ærumnarum. Ista quâ ratione etiam post vitam læderet excogitauerat, & mendacijs (quibus nisi responderetur, facile creditur) rem perficere conabatur. Ecce intercessit innocentia viri, veritas fidei. Denique contra totas maledicentiæ linguas, LIPSIUM, vna semper Ecclesia asseret Catholica. *\* Illa nempe, illa, quæ non modò tot Regum ac Principum, sed quod longè præclarior est, omnium Sanctorum communis Mater; & in cuius gremio mori felicius est, quàm ab initio nasci. cum non nasci satius sit, quàm in hac non mori.*

\* E Testamento Ioannis Salmosel, Polonie Cancellarij, max. & incomparabilis Herois, aurea gnome; ita LIPSIOMATA, ut si superfluis, etiam scripto elogio celebrasset.



CALVM-

# CALVMNIAE IMAGO

## EX LVCIANO.

**C**ALVMNIAE auctor quàm minimè bonus vir sit, ignorat nemo. Sed olim hæc veritas placuit; cuius nec minor hodie vt ratio, ita gratia esset, nisi in seculum incidisset, quo iniquissimâ consanguinitate, virtutum titulis ipsa quoque scelera celebrantur. Inuidiam, magnanimæ emulationis vocabulum venustavit. Obtrectatio, libera veritatis sub professione inualuit. neque etiam tam insolentibus malis insidiosæ religionis color deest. Quid enim gloriosius proximis in LIPSIUM calumnijs fuit, quàm Christianæ sinceritatis simulata virtus, atque pietatis odium nouitatis falsitate instructum? Attamen nec Calumniam nostri solùm cui malum esse, ista artis Apelleæ lineis inscripta tabula satis docet. Specta mecum Lector, & cense nouellos istos detractores, vt veterum virtutes planè ignorant, ita vitia studiosissimè sectari. Apelles ab Epheso pictor, apud Ptolomeum regem accusatus à calumniatoribus, tamquam coniurationis in Tyro factæ conscius, imò auctor adiutorque, & hostili planè animo in regem esset. At ille neque Tyrum viderat vquam, neque auctores coniurationis nisi de famâ fortasse norat. sed Antiphilus quidam, æmulus in arte, detulerat. Ptolomeus rex, nec aliàs animi satis compos, irasci, fremere, ingratum & perfidum Apellem dicere, ac iam duci iubere: nisi quispiam è coniuratis interrogatus, nihil sibi suisque cum Apelle fuisse serio adfirmasset: & re deinde inquisitâ, regi quoque animus & aures apertæ ad veritatem. Imò & ad iustitiam apertæ. nam statim Apellem quasi luendæ iniuriæ, centum talentis donauit, ipsum Antiphilum addixit ei in seruitutem. Ita extra periculum & cum præmio Apelles: tamen facti memor, tali tabella calumniam est vltus.

\* Ad dexteram tabulæ sedet ALIQVIS longis auribus in asini vicem, quales illæ feruntur regis Midæ. Is manum

\* Lucian.  
Calumnia  
non esse te-  
merè cre-  
dendum.


comiter offert procul aduenienti CALVMNIAE. Circa regem vtrinfecus mulierculæ duæ, IGNORANTIA, & SVSPICIO. Accedit igitur ex aduerso CALVMNIA, mulier quantumuis formosa & compta, æstuans tamen & commota, rabiem & iram palàm præ se ferens. Sinistrâ facem gerebat, dextrâ iuuenem quemdam capillis trahebat, manus ad superos tendentem, & Deos omnes obtestantem. Ante ipsam incedit pallidâ facie, informi habitu, acutum & acrè intuens, non absimilis ijs qui longo aliquo morbo contabuerunt. quem LIVOREM esse aliquis facilè conijciat. Sed & mulierculæ duæ Calumniam sequuntur: quæ adhortantur & instruunt, & eam ornant. Interpres picturæ aiebat INSIDIAS & FRAVDEM esse. A tergo porrò paullò longiùs lugubri habitu mulier subsequitur, in nigrâ veste, eâque lacerâ: POENITENTIAM esse dicebant. Atque ea procul venientem VERITATEM, cum pudore quodam, & linnis oculis aspiciebat, excipiebatque. *Tali Apelles Tabulâ casum suum, & simul ortum, ingenium, noxas Calumnie aperuit, & posteris ostendit.*



IVSTI

I V S T I L I P S I  
D E F E N S I O  
P O S T V M A.  
C A R O L V S S C R I B A N I V S  
S O C. I E S V T H E O L O G V S  
A M I C O B E N E M E R E N T I  
P O S V I T.





REV<sup>MO</sup> DOMINO  
 IOANNI MIRÆO  
 ANTVERPIENSIVM  
 EPISCOPO.

**R**EDIVIVVM Tibi, & à capulo iam recentem LIPSIVM, nouum ab institis Lazarum, sisto PRÆSVL AMPLISSIME, illumque ipsum iuris tui facio: & intimo voto meo facio. Vtinam maius aliquod, aut speciosius munus! verùm quod poteram maius, qui illum totum ad Benevolentiaẽ tuæ aram sacra-rem? Nec incomitatus ibit: paruulum hunc, & à matris iam iam vberẽ, manu trahet; & nomini tuo dicatum ibit. Annam cogita & Samuelem. Robustio-rem aliquem tu merebaris; sed aberant illi longiùs, quàm vt paucis horis euocarem. Malui ergo hunc tenellum, & à matris sinu ludibundum, in promissæ aris exsolutionem obsequio tuo sacra- re, quàm vacuâ manu pudori meo illudere.

F f 3

Habe

Habe igitur hunc tibi, PRÆSVL AMPLISSIME. paruulus ludat aulâ: & dum patrem ore referet, patri veteris nouæque humanitatis tuæ forēs referabit. Sed neque hunc alteri, quàm Tibi, seu LIPSI carissimum Tibi nomen, seu me spectem. Tu enim es, cuius amor in me, & beneuolentia summa. neque in me tantùm: publica & testata tua sunt in omnes. & Campinia tua loquitur, tot antè viduata pastoribus, tot nunc ijsdem diues. Seminarium in hac vrbe, nobile eruditionis repositorium, operis tui est. ex hoc agro, non palmites aut frutices, sed arbores umbrâ suâ contentas, & iam doctas pascere, educis in sterilefcentis illius soli opimitatem. Iam sacra si intueamur, quis magis ea tutatus, ornauit, diuitauit? quid referam virtutes reliquas? simile. Neque ista in gloriam. Deo ascribis soli: & amplissimi operis fructum censes, fecisse. Vtinam in his alijsque Tibi similes, qui dignitate similes! Sed hæc voti mei sunt. Deus cogitationes omnium ad publica proferat, vt Patriam consilijs, suos vigili curâ tueantur; & in multorum neglectu aut quiete, vigilem tecum  
ma-

manum oculosque ad clauum porrigant.  
 Non inhærebo his diutiùs; ne, quod dici so-  
 let, in exiguo corpore ingens vestibulum.  
 Tu, quod primum volui, affectum in hoc  
 conatu meo vides; in Te, in LIPSIVM. quem  
 vbi licuit, verbis suis stiti: quò magis testem  
 hunc, & velut obsidem vtriusque in Te ani-  
 mi æternum haberes. Ita voueo

*Carolus Scribanius.*



LECTO.

## LECTORI MEO.

**H**ABES Lector, quod amicorum preces, & meus in magnum LIPSIVM affectus protrusit. Nec potui ordine, & velut presso pede, aduersariorum scriptis insistere. quid enim illi ordine dicunt? prima, media, & ultima ita permista mutuo, ita passim omnia, ut agrestium spinarum inconditam texturam facilius ad principia sua reuoces, quam hac commenta. Eadem repetita saepe: permista non uno loco, non miscenda. Digessi tamen in aliquem ordinem hanc siluam, tum ne eodem cum aduersarijs luto inuoluerer, tum ut imbellem inimicorum manum certius videres in hoc retextu. Ad maledicta, quae passim plurima, paria non regeſsi. Scio, æquo animo audienda esse imperitorum conuitia; & ad honesta vadenti contemnendum esse istum contemptum. & ubi attingo, eluo potius hoc lutum, quam ut respergam. quin, patior non semel aspergi. Aristippus praeit, qui consputus à Dionysio, cum nihil moueretur, & quidam mirarentur; Nempe piscatores, inquit, ut gobium capiant, aquis patiuntur se aspergi: & ego ut balenam, non patiar sputo madidari? Quid si ego hanc balenam in suo mari? & tibi demulceam, quem fuste antè frangam, quam pelliciam? Ita faciat aternus Deus. Erant alia permulta leuia, &

Et qua nec nomen mererentur magni LIPSI. Et  
 uerò tadium caperet recensendi tam assiduas Et  
 ubique pares nugis. nam, ut Garci, \* πᾶντα μία κό \* Omnia  
 vis. Itaque refellenda hac putavi contemptu solo. Sic idem puluis.  
 ferè generosior molossus, stolidè oblatrantem ignauum  
 canem contentus obtruisse, nullo dignatur dente.

## Scriptiois huius occasio.

**N**ON patior abire hunc scriptorem, inuolutum nube.  
 rem aperio Et retego. Uniuersam, refectionis gratiam  
 initurus. Fauete quicumque hac legitis: Et mecum cre-  
 dite, secundo hoc somniorum seculo, reſerata eſſe omnia  
 archiua ſomnialia. Quibusdam terra vorantur: inſula Et ſomnia-  
 torem ſuum maria fraudant. Huic quercus laurusque ferunt

Cruda puerperia; & populos umbroſa creabit

Fraxinus, & foetâ viridis puer excidet orno.

Hic cades ambulat, Et ſanguis nullus: Bacchus alibi, Et uinum  
 nuſquam. ibi euigorata concupiſcentiis iuuentus ſudat, Et nõ vno loco  
 exancillatur ueneri; Et tamen ſudatoria nulla, Venus nulla. Calum  
 debellant alij, Et captiuum triumpho ſuo inuehunt, Et ſtellas faciunt  
 ueſtigales: neque vnumquam tamen magis detriumphamur, quàm cum  
 in inerti ſomno altum ſertimus. ô ſomnia! Huic piſces volant Et  
 maria, natant rupes, ſaliunt arbores, pariunt fontes; Et obſtrix  
 nuſquam. Hic leo latus claudit, ibi ſimius aut lutulenta porca: iſte  
 per capillum odoratur, ille cibum nouit auribus: hic pedibus datatim  
 ludit, ille manibus ambulat: alius ſuſpirat inter metalla, hilareſcit in-  
 ter uina alius: Et nuſquam pila, metalla, uina; nuſquam odor, ci-  
 bus, accubatio. Siluas hic armat, as galeatas braſſicas, tympaniſtrica  
 ſaxa, pſaltrica paſcua; ciuitatum Et regnorum videt alter voragines  
 tam crebras, ut tonſuram arbitretur ſilueſcentis nemoris, montesque,

genus

G g

gen-

gentium examina eructantes ; & cæcis hæc vident oculis. Denique cadunt huic lacrymæ, etiam veræ, risus illi : hic Cæsus, & momento iacet Irus, nec multò, calis adscribitur augustum nomen, eademque nocte, non & horâ? decineratur ignibus, æstuat solibus : & somnium omnia. At inter hos facundos somniatores, tres mihi etatis nostræ nobiles.

Primus, blandâ quadam quietis necessitate prostratus pinguis somniat somnia, à Lyæo, à cyathis, à mensis recentia. signum hoc mihi venire hæc à primis noctibus, cum in stomachali adipe suo natat etiam tum cerebrum.

Secundus, amicâ vi soporis elusus somniat ( vt assolent, qui in æmulis somno valetudinibus, phreneticâ & cardiacâ) enses, sclopos, tympana. eunt hæc somnia mediis noctibus, desomniato iam humore illo natatorio, nec tamen ad plenum collato, aut dispersito per cerebri habitacula, cum adhuc in confusâ vaporali congerie, caput vniuersum occupat.

Tertius, colatiora somniat ; qualia solemus sub extimis noctibus, pro ductâ iam per priora somnia somniali pinguiore turbatioreque materiâ, cum exsuccius cerebrum, neque natat in liquore, neque furit in turbidâ mistione : & tamen somnium omnia. At quis vetet, licet frustratoria plurimum, vera somnari somnia? Sanè Stoici Deum volunt somnia indidisse nobis, peculiare solatium naturalis oraculi. ita Sarmas propria somnialia oracula apud parentum monumenta captare, Celtas olim apud virorum fortium busta eadem de causâ abnotasse legimus. At somniator hic noster in campis Elysij, aut vicino illis nemore, sub nescio cuius Sibyllæ lauro, aduersariarum partium duces vidit :

Virgineas ne crede manus : hîc crudâ virorum  
Prælia.

admouit oculos animumque curiosior. vidit, ceræ commisit : & eadem nunc dat huic orbi. Vultis ipsos duces? LIPSIVS & REDANIVS. Ille, se suaque clypeo tuetur & hastâ, hac notâ: Veritas hac vinco. hic iacula mittit, quibus inscripsit : Non venit à vili sanguine

guine gloria. & excusserat iam antè LIPSIVS eadem parma,  
 inimica non paucorum tela, traheratque lassam dexteram: vt nouum  
 tamen aduersarium inaudijt, diceres nouis animis, noua dexterà bella  
 reparare.

Vt modò connubijs taurus saltuque recepto  
 Cùm posuit pugnas, alio si fortè remugit  
 Bellatore nemus, quamquam ora & colla cruento  
 Imbre madent, nouus arina parat, campumque la-  
 cessens

Diffimulat gemitus, & vulnera puluere celat:  
*ita noster. & seipso etiam maior, noua bella parat. paranti aduersa-  
 rius hastam*

Expulit: illa volans, ceu vis permagna moretur  
 Obuia, vix sonuit clypeo, retrò visa reuerti.  
 — vt præceps cumulo salit vnda minantes  
 In scopulos, & fracta redit.

*Risit Athleta noster: nec aduersarium hastà dignatus, obuiam fortè  
 sudem per nemora perque aëra in incertum iaculatus, dexteram te-  
 lumque dirigente Fortunà, hostem strauit, pœnasque ab inimico san-  
 guine sumpsit. Erant alij iaculatores Numidæ, siluâ tecti, quibus omnis  
 in pedibus gloria. at nostrum*

— tædet fugientibus uti,  
 — nec facilem dignatur dextra cruorem.  
*quare nec calamo dignos habuit somniator noster.*



## SYLLABVS CAPITVM.

C A P. I.

*An LIPSIVS inconstans.*

C A P. II.

*An LIPSIVS à se dissentiens.*

C A P. III.

*An contrà, quàm sentit, scribat.*

C A P. IV.

*An animum inclinavit cum Fortunâ.*

C A P. V.

*An sensus suos de Religione apud Battaunos presserit.*

C A P. VI.

*An nomen Christiani in Mariani mutet.*

C A P. VII.

*An ingenij dotes submittat Idolo Hallensi.*

C A P. VIII.

*An coactionem in Religione inducat.*

C A P. IX.

*An Vstionis & Sectionis auctor.*

C A P. X.

*An LIPSIVS de Fato gentili & et.*

C A P. XI.

*An LIPSIVS Stoica secta.*

C A P. XII.

*An Oratio De duplici Concordiâ Jena à LIPSIO  
habita.*

IVSTI

237

I V S T I L I P S I  
D E F E N S I O  
P O S T V M A.

C A P V T I.

*An LIPSIVS inconstans.*



**R**EDANIVS. Magnus ille, apud quem verba factis consonant. Quanta tu de Constantiâ, in omni vitâ inconstantiae exemplum? Adolefcens decurras ad nos, deseris fenex, & aduersarias partes amplecteris. calidum ibi, hîc frigidum efflas. hunc probas, post improbas; nostra secutus, damnas nostra; & quæ antè tibi cata, stolidâ nunc sunt, & solo risu puniendâ.

LIPSIVS. Nihil tam probum, quod non vellicare malignitas possit. tu es exemplo: qui res, qui verba, qui correctos cum ætate adolescentiæ lapsus rides; & illud iuuentutis lubricum in aurariâ pendis trutinâ. Quid vis? etiam in illâ ætate sapientiam? & opinionum aut vitæ delectum in inuesti mento? & à quo numquam reflectas? Non est humani ingenij optima semper primis cogitationibus deligere: & ferè secunda in viro consilia maturiora sunt. Hinc vetus illud: *Αἰ δ' ἄρ' ἔργα φρονίδες σοφώτερον. Posteriores cogitationes sapientiores.* Solius alterum Dei est. quem, quia omniscius, ideò expertem erroris habeo: hominum quidquid est, opinantur, vacillant, mutant, errant. *Nemo est mortalium, quem non aliqua pars ignorantiae attingat. hinc cogitationem ex ipsâ mortalitate traximus. nam homo cum errat, humanitas errat. Errorem autem in homine calumniari, est toti ipsi mortalitati conuitium facere.*

*Nam vitius nemo sine nascitur. optimus ille est,*

*Qui minimis vrgetur.*

*Pars etiam vitis gaudet constanter, & vrget  
Propositum: pars multa natat, modò recta capeffens,  
Interdum prauis obnoxia. —*

pars altera post lapsus surgit valentior, quasi roboris fundamenta sint lapsus: vt admireris hunc fortem, sed non nisi à lapsu fortem. & antè quidem semper varium, nusquã firmum; post lapsum, semper firmum, nusquam varium. Optimus ille est, quem nulla dies vidit labantem: hunc talem, nisi à cælo, non reperies. alter à priore est, quem nulla dies vidit iacentem? cecidit oriente? non expectauit occasum. tertius, qui deteriora secutus, meliora post probauit. Quid damnas? in hoc numero inè pono. vis prioribus insidère? errauit: vis errori inhære? lapsus sum: non vis exurgere? Vulnus accepisti, euolas ad chirurgum: ægritudo molesta est, medicum euocas: & ego, quem imprudentia luxauit, aut error delumbauit, aut ignorantia fregit, certiora nec cogitem nec sequar? Musto tempus damus vt despumet, & vltro referamus vasa, reiecticiis viam ostendentes: & animo, vt iuuentutis & opinionum faeces eiciat, nihil damus? Febris præcordia possidet; quid expectamus, vt iugulum inhabitet? Imaginosus quidam morbus animum perculit, quid hæremus? vis illum ægritudinem vniuersam imbibere, adeoque hac tingi, vt nullã post arte decoloretur? Stomachus noxia hausit, euomuit, sperare de morbo incipio, nec antè sperare quàm reiecerit: animus opiniosam suxit insanitatem, vis in hoc succo æternùm indormire?

Et tamen videamus, quæ mea Inconstantia. Scio quid velis. Respublica turbata est, & placidum illius mare, totque annorum malacia, tempestatem passa, qualem nulla ante. ego eodem turbine eiectus in Battauiam vestram, apud vos vixi, inimicus nemini, amicus quibus potui, familiaris paucis. Eterat rara ingenia, quæ pacem, quæ quietem amarent: hoc est, ingenij mei perpauca. nam ijs, *quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt*, aut qui *pro certis & olim partibus, noua, ambigua, ancipitia malunt*, numquam hoc latus adiunxi. Vis aliqua compulit? aberat animus: & cum illi aliquando multa de Republicâ, de Religione, feci quod Cleomenes Spartæ Rex, Græculo de fortitudine differenti aures nō præbuit, nec ego mētem. feci quod

Aristo-

Sallust.  
Tacit.

Aristoteles vni ex his olim, qui cùm multa nugatus esset, & abiens excusaret, *Numquid molestus fui? Non mehercule,* inquit, *non enim attendi.* Nam quid ego attendere ad ambitiosos aliquot? *qui priuatim degeneres, in publico exitiosi, nihil præter discordias habent: qui que honores, quos quietâ Republicâ desperant, perturbatâ consequi se posse arbitrantur?* quid ad obæratos è re familiaris perditâ? quibus scilicet *afflicta fides in pace, qui que rebus turbatis alacres, & per incerta tutissimi?* quid ad vanos quosdam & ventosos? *qui non tam præmiis periculorum, quàm ipsis latè periculis?* de quibus puta dictum:

*Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus Undæ,*

*Nec dubio nubes vertitur atra Noto.*

Atque hi omnes & tales variâ arte imperitos animos impellunt; & trahunt leui momento leuissimum quemque, & futurum improvidum, aut spe vanâ tumentem, promissi magnitudine, qui si in virum incidant, maximè ab eruditione instructum, resiliunt trepidi: contra enim hæc audaciæ ingenia, quæ nec in quiete quieta sunt, silentio ille se tuetur. Feci hoc apud vos, in quo quid peccauerim, nescio: nisi peccatum sit diu siluisse. At mihi ille prudens, qui non in vanum spargit monita; qui, quæ scit non profutura, domi suæ tenet, laxaturus habenas, & toto ostio emissurus, vbi melior spes affulserit. Expectaui ego tempus, & non semel hæc vota mea: O quando! Vt vidi labi; etiam in deterius omnia; eripui me aliquando, & libertati reddidi; patriæ, amicis reddidi: tutiora elegi, & meliorem causam; in quâ, si necessum, etiam immorerer.

At magna sperabam, & desertæ causæ præmium. Hoc qui dicit, ex illis natatoribus est, qui nusquam pedem figunt. Ego præmium? ô quàm vos semper alieni consilij improbi diuinatores! ego sperarem, qui vltronea & in reluctantem sinum hunc munera non semel excussi? ego ambirem, & magnis sæculi cogitationibus implerem pectus, post purgandum sæuiore pharmaco? ego qui Lunas, qui Albuquerqueios, Paciecos, Confaluos, Cortelios, qui Cominæos nossem, ætatis nostræ, & frustratoris spei documenta magna? ego qui Styppiotas, qui Apelles, Aratos, qui Seianos, qui Plautianos scirem? Tot magna nomina fluxæ potentis, tot felicitatis insignia subito turbi-

turbine quassata, & eversa eodem, quo tollebantur, momento. Eadem sperarem? aut ambirem dubij successus & ferè ruituri præmia? quasi deessent infidæ Magnorum amicitia exempla, Amani, Parmenionis, Cleandri, Ablauij, Eutropij, Stiliconis, Vineæ, Brocæ, Luxemburgij, Cabreræ, Caracioli. Et vnus Seneca non erat ad explendum hoc pectus? an opus alio doctore? Huius ego monita expressi, animum velim, & conor. cuius etiam exitus me docuit, & insonuit auribus, quamdiu hæc vita stetit. Vis ex fide, quid de omni hac aulicâ ac potenti turbâ sentiam? natant; nec vsquâ pedem in solido figunt. Non sum ex his æternùm natatoribus. momento ludunt, momento sorbentur, & sæpè eodem, quo ludunt. Nunc superba ostentant carbasa, insurgit malus, & puppis aureis vestita bracteis, omnisque prorsus carina floret polita citro: iam aulæa auro grauida, & ipsa latera illicibus circumsecus picturis variegata: nec longa mora; in illo ipso sui triumpho sepelitur fluctibus, vt ouasse credas in sepulturam. ô vana! Quanto feliciùs contentus paruo securas videt noctes! Horatius verè:

*Viuitur paruo benè. ——— & alibi:*

*Beatus ille qui procul negotijs;*

*Forumque vitat, & superba ciuium*

*Potentiorum limina.*

& ex Ouidij monito:

*Viue tibi, quantumque potes, prælustria vita.*

causam subiungit:

*Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.*

eandem habes à Lyrico:

*——— celsæ grauiore casu*

*Decidunt turrets.*

Felix ergo ille, qui de suo; miser, qui de alieno semper viuit. apud illum pacata omnia, vt qui nihil alienum speret, quare nec timeat, (sequitur spem timor:) apud hunc nihil compositum, turbata omnia, quia incerte, quia intuta; qualia sunt, quæ ab alienâ voluntate pendent. Alia omnino apud sapientem vitæ ratio: qui quidquid extra animum suum, aut reipsâ, aut spe nudâ possidet, non habet pro suo; quare nec vitam ad hæc componit: solaque illa sua arbitratûr, quæ nulla tyrannis,

nulla

nulla inimica manus potest eripere. Vis expressam huius imaginem? Aegyptum cogita. in quâ

*Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.*

& vt alter;

*Terra suis contenta bonis, nihil indiga mercis,*

*Aut Iouis. in solo tanta est fiducia Nilo.*

& Claudianus docto Epigrammate:

*Aegyptus sine nube ferax, imbrésque serenos*

*Sola tenet, secura poli, non indiga venti:*

*Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat.*

Quæ illi de Aegypto, ego de prudentis pectore: suo viuit, succo suo, domi suæ nato: auerfatur externa; aut, si quæ necessitas, libat, nec vltra. O magnum, qui aureo Principum flumini nihil debet, qui nec argenteos imbres, nec stillicidia huius aut illius roris auidus expectet: imò, cui ipsæ adeò opes gratia debent, si admittantur. Ex hoc numero si non sum, animo tamen sum: & ad hanc prudentiæ aram, priscâ pietate & ritu vota nuncupo, vota soluo lubens. Subsidio mihi hîc natura, quæ me ad modestiam fecit, & quietem. neque enim mihi ingenium inclarescendi per turbas, per togam ciuicam, per Principum atria: mihi, Musisquæ si viuo meis, sat magnum vitæ meæ fructum retuli. Quod reliquum, dicant qui volent benè, dicant malè. nemo efficiet, vt non sim Lipsius, amicissimus & amicorum obseruantissimus, hostibus etiam non aduersus. claudo hoc caput, & finio amici præfago versu:

*Iam tibi quod viuo detraxerit inuida turba,*

*Post obitum duplici scænore reddet honos.*

## C A P. I I.

### *An LIPSIVS à se dissentiens.*

**R**EDANIVS. Multa tu hîc more tuo: nec tamen negare potes, partes te aliquando Ordinesque nostros fouisse, collaudasse: nunc tibi aduersæ partes Apollinis cortina: & quidquid Iber dixerit, fecerit, tantum non sanctum. Denique quidquid antè probasti, damnas; quæ damnaasti, probas. Hæc viri, & viri docti sunt?

H h

LIPSIVS.

L I P S I V S. Semper ego sagittis tuis scopus. Iam dixi, & diu est, cum pœnitentiam offensæ apud vos cōtractæ, quanta est, egi; & publicè testatus sum, nolle factum. idem nunc itero. Nollem olim dicta, olim quædam probata non probanda,

\* Sipienti  
proprium  
pœnitere?

imò & damnâda. An nescis \* ἴδιον τῆ σοφῆ μετανοεῖν; factū hoc à me.

*Confiteor, testere licet, signate Quirites.*

Non est hæc legitima satisfactio? addo, & offero.

\* Spongiam  
aberrantis  
qua medi-  
cina sibi  
est.

\* Σπόγγον, ἀνεσπόμενον παλαζομένως γαλακτῆρα.

Sed meam fortem! vnumquodque lanuginis primæ verbum meum tam validè examinari?

*Nimium idem omnes fallimur, neque est quisquam,*

*quem non in aliquâ re videre Suffenum*

*Possis: suus cuique attributus est error.*

*Sed non videmus manticæ quod in tergo est.*

Es tamen quid dixi, aut scripsi? conuitia tantum amoueamus, quæ tu dolosè mihi ad fingis; & sponsione prouoco, nisi illa, quæ scripsi, refellant. Nam si alicubi è regiâ viâ recessi, reducas potius quàm rideas; & à Phocylide, \* χεῖρες πεισόντι δίδε, quàm conuitia iacias in errantem, in locorum ignarum. Cōditionis tuæ & meæ, id est publicæ, memento. pauca adèd, non omnia, homines scire nati sumus. Numquam à veritatis areâ aberrasse, neque humanum est, neque cadit in hanc vitam. imò,

\* Lapsa  
manum  
porrige.

*quid tam dextro pede concipis, vt te*

*Conatus non pœniteat, voti que peracti?*

& hîc ætas, alibi amici, sed & lectio, & congressus doctorum aliud suggerit & meliora docet. Quâquâ quæ scripsi, aut omnia, aut propè, placitura prudentioribus auguror. de populo, vt & de infimâ litterariâ plebe, numquam laboravi: neq; ego illi placere volui. nam quæ ego scio, non probat populus; quæ populus probat, ego nescio. Probet proinde improbè, quæ dixi, quæ scripsi, nec manum mouero. quamquam improbare malim, vt longissimè sim ab illius mente, hoc est, minimùm absim à Sapientis pectore. Venio propius ad accusationis iugulū. multa hîc possem, pauca dabo. Miraris, quî mors & vita in vno ore habitent; vt cui antè proba probatâq; omnia, nunc improba damnaticiaque omnia. Velles aliquid extortum è Pharisaorum scholâ: *Licet censum dare Cæsari, an non? &*

*mulier*

*mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Nihil agis ô bone. Summus ille Rex regum rogandus, vt hoc miserabili æuo, errantium animos sanet, aut pertinaciam tollat.*

*Verùm olim probaui. O quamdiu hæc ad popularem inuidiam! Nunc autem sublato omnes velim. Planissimè à caluo ad caluum. Vbi hæc dixi, scripsi? ô pectus niueum! vbi? Apud vos fui. Fui: & bellicus me turbo in angulum illum compulit. Vestra probaui. Nolebam. cogor aliquid reponere, & verum aliquando fateri. Mores, studium, finem, media ad hunc vestra numquam probaui: nec viuit mortalium quisquam, qui hæc ab ore meo. Ciuile hoc bellum, ferrum, sanguinem, semper improbaui: & naturâ alienior sum ab hac Erinny. Sed Feros, & gentem illam totam. Numquam vniuersam gentem damnaui: & peccem in omnem prudentiam, qui totam damnein. Aliquos ex his minùs probasse non diffitebor: acres spiritus, & nusquam nisi in periculis credulos: preferuidos, & ex ingenio suo reliquos metientes: alieni roboris & consilij contemptores. hæc numquam probaui. At sunt alia in eâ gente magna: patientia, quâ vnâ ferè regna tenent, fides, qualis in nullâ aliâ; ingenium ad summas scientias, Iurisprudentiam, Philosophiam, Theologiam: & debemus hanc ætate nostrâ illis lauream. Finio: erit alibi latior campus.*

## CAP. III.

*An contrâ, quàm sentit, scribat.*

**R**EDANIVS. Contra animi tui sententiam scribis: & fallis sciens, etiam inuitus. Quis re cogit? quis, nisi ille, qui non rectè eminere dicitur supra omnia humana & diuina, nisi, quidquid est vsquam magnum excelsumque, calcet pedibus; tum deinde tui Iesuitæ?

LIPSIVS. De Pontifice quod dicis, vis credâ à cortinâ dictû? ô nouû sæculi nostri Paridem! vacuâ dominaris in aulâ. Iactabat ille se olim, & laceſſebat stolidè; vt verò Menelaum vidit,



\* Stantem  
in principi-  
bus, percul-  
sus pectore  
satis est.

\* Ἐν πρημάχοισι φανέντα, κατὰ πλήρη φίλον ἦτορ.

tibi non idem eueniat, si vel à decem passuum millibus Pontificem intuearis? quem cum nec audias, nec videas, descendis ad calumniarum tuum campum. Et super quæ diuina eminent Pontifex? tua? id est Calviniana? Nam de humanis quid stomacharis? calcata Pontifex planè. Quicumque cælum cogitat, & ferò cogitat, non quidquid hîc magnum calcata pedibus?

De Iesuitis verò, quid? cogunt illi L I P S I V M contra animi sui sententiam scribere? Et quales tibi Iesuitæ? *Hominum genus insolens.* An ideò mel insuaue, quia ægris sic videtur? & illi insolentes, quia vobis aliquot parum sanis? Et quid si aliquid haussim ab his fontibus? at aliud quàm tu mentiris. Aliter, mihi crede, catuli olent, aliter fues. in illis nil nisi probum, doctum. plura hîc dicerem, vera dicerem, plura illorum vetat pudor. in vobis qualia sint, Germania, Gallia, Belgium vniuersum, nimis, heu, magna documèta sunt. quæ ego nec resero nec narro. O quousque natamus in hoc ciuili sanguine à ferro vestro!

Iam ego qualis tibi videor? quid tam alienum à meis moribus, quàm aliud sentire ac scribere? ne decrescere quidem didici præter mètè: in laudem tamen, fatebor, semper pronior, in amicitiam facilis: probare pleraque, si abesset improbitas; etiam virtutem in hoste admirari, laudare: etiam eruditionem in aduersario sequi. Hoc si aliud est sentire ac scribere, habes fatentem reum; feci. tu de ingenio tuo iudica. Olim dictum:

*Heu mihi difficile est imitari gaudia falsa,*

*Difficile est tristi fingere mente iocum.*

*Nec benè mendaci risus componitur ore,*

*Nec benè sollicitis ebria verba sonant.*

arbitreris de ingenio meo dictum. Non didici gaudia imitari falsa, non ore ridere, mente flere; non hilarescere vultu, animo dolere. Hoc verò fati mei esse censeo, ab ijs morderi, qui cum religione verècundiam exuerunt. nisi fortè, sicut qui ocymum ferunt, feliciùs id nasci ad conuitia interiecta autumant, ita vos spargendis contumelijs fecundius mihi nomen paratis. Et ego tamen contra animi mei sensum scribam?

— pultes

*Coram alio dicem puero, sed in aure placentas?*

non

non est Stoïci, qualem me facis. aut inuitum me quisquam cogat, & meliora scientem, in aliam à sensu meo scriptionem? non est Stoïci: non si tundar in mortario: & exertâ hac linguâ, loquentur oculi: hos si quis eruat, singula membra iam lingue erunt. aut quis hanc dexteram, refugâ mente, compellet in scriptionem? non si Mucius fiam, & ardeat illa in igne: nam quæ supererit, dextera mihi & sinistra erit. Etiam hac viduabis LIPSIVM? totum exinde corpus dextera erit, totum scribet, & reteget quod claudebat pectus, Stoicum, vti tu vis; vti ego, Christianum.

— *Phalaris licet imperet, vt sim*

*Falsus, & admoto dicitur periuria tauro,*

non decedo à veteri maiorum instituto: nec fallo sacramentum, quo baptismate obstringor. At tu memento moniti:

*Arcanum neque tu scrutaberis vllius vquam,*

minùs etiam, quæ somniata tibi. neque florem domi tuæ natum alieno adnectas capiti, tamquam capitis huius, non tui somnium; tamquam horti non tui, sed illius palmitem.

#### C A P. I V.

#### *An animum inclinavit cum Fortunâ.*

**R**EDANIVS. Animum inclinasti, quò propendere cernebas Fortunam: & maluisti cum Dijs adhærere causæ victrici, quàm cum Catone victæ.

LIPSIVS. Priscus mos redijt, & conuitia spargimus è plauastro. Audisses Isocratem; *\* Τὰς ἄλλας λοιδορήσαι, ἔ σημεῖον ἀρετῆς ἔστι.* & temperasses ab hac maledicentiâ. Verùm vtcumque se res habeat; si Dijs adhæsi, quid damnas? meliora sequuntur. si non obstinaui causæ immori cum Catone, quid ringeris? At tu satis habes, si hanc veterem de Cæsare & Catone gemmam in medium sparseris, quæ mihi algâ est vilior. Et quis tibi hîc è tripode ad arculas sedet, vt suggerat & dicitur ex exeso quopiam codice victricem causam, victamque? neque enim hæc tibi, vt pleraque reliqua, sine Theseo. Imò quid scabiem reuocas prisca temporis? pruritus illi, publicè aut priuatim,

Hh 3

quem

\* Non est  
indicium  
virtutis, a-  
lios cõuictis  
proscindere.

quem non tenuerunt? Quid flammis iniicis publici incendij? non satis arsisse semel? scilicet non à radice periissemus, nisi nouo calami tui igne arderemus.

— *abruptis etiamnum ssebile uenis*

*Vulnus hiat, magnæque patet uia lubrica plaga:*  
& tu mihi partium studia? Fateor; stetimus non semel tamquam in tenui luto: & obniti (ô homines!) conati, cælo terræque pugnantibus. nimirum nisi Pharsalica, nisi Actiaca redirent, salui esse nō poteramus. Sed quid ego plura de grandi hoc profundo? tantandum semper homini, numquam curiosius explorandum. neque enim hîc sola humana manus: fuit diuina, quæ modò habenas strinxit, modò laxauit partium fortunam. Perieratis non semel, nec salus ipsa saluare vos poterat: hostilia interim, in tam præcipiti fortunâ uestrâ, inò in ipso lapsu, consilia labantes tenuerunt. Nec fuit hoc prudentiæ uestræ, aut hostilis fatuitatis: altior aliqua mens ludebat; & pulsus aliorum uentis, fluctus ponebat.

— *vice cuncta geruntur,*

*Alternisque premunt.* —

Quid facerem? etiam me Aquilo aliquis inuoluerat in partes (nihil nego) & salutem quærebam, & quietam nemora, in quibus tutò, & sine militari sago, in pacatâ hac togâ, Musis conuiuerem. quæsiui, ut qui ignem solent, cum strictum est frigus,

*Et prata canis albicant pruinis;*  
nec reperti. inò densiori, & plusquâ Norico frigori implexum me sensi. & dum terras fugio intutas, ab immiti abreptus Oceano, cōuoluebar fluctibus. Quid sperarem à citharâ in hoc vorticoso mari cædibus infami? flecterem irarum minas? aut nouus Musicus, cantus dulcedine, in admirationem, inde in auxiliare manum, raperem tot monstra, quot regit illud mare? Delphinis habuisset, qui mulcentur Musicâ, gaudent tibiaram cantibus, ac uibicumque symphonia est, gregibus aduentant; aliquis ex hoc numero inequitantem L I P S I Y M reddidisset terris. At procul hinc Delphini, durum licet genus, sed quod tamen aquilonio flatu celerius audiat humanas, amicas voces, & dorso Musicum suum uehat. Sæuiora portenta alit illud mare, ergo me eripui, & cum bono Deo, memet mihi

mihi reddidi, patrię reddidi: nec victricem, victamve partem, sed causę æquitatem secutus; & apud quam securè me retegerem, id est pectus recluderem, Catholicè, & vt pressius etiam aliquid, Romanè à parentibus e ductum. Satis, ac nimum etiam diu inter contumacia Battauię tuę vada adhæserat hæc ratis: impegeratque non semel ad rupem illam periclitaturę salutis. non quòd quidquam illius altiùs infedisset menti; affricuerat tamen aliquid noxij sui succi: vnde illa nata, liberioris opinationis, scriptionis. Vidit Deus, & quam semper colui, Dei mater, longiùsque à statione errantem scapham diuino re flatu suo ad tutiora compulit. Ita perpetim mitis & benigna Domina nostra est, lapsos erigit, & seruatum it eos ipsos, qui se perdunt. Tu hęc obgannis: ast ego & euentibus omnis æui & exemplo meo non vno doctus, credo, ab hac vnâ, post illum, omne bonum.

## CAP. V.

*An sensus suos de Religione apud Battanos presserit.*

**R**EDANIVS. Sensus de Religione tuos intimos, quoad vixisti in Battavis, studiosè pertinaciterq; pressisti; memor, & superioris temporis exēplis doctus, quid tibi à feritate Hispanicâ, si quando superior foret, immineret. Nunc nihil est in partibus illis tam vanum, superstitiosum, anile, absurdum, quod non præ te feras, profitearis, laudes, propugnes.

**L**IPSIVS. Substringe aurem breuiter ac liberè dicturo: si quid non ad gratiam aut gustum tuum erit, sustine & tolera. Pressi apud vos de Religione mētem meam. in quo si silentio peccaui, peccatum fateor. neque hoc silentiū meum, testatione vnâ, vbi tempus fuit, leniui, sed spongiâ deleui: imò pro timore meo vano, meliora maiorq; illi genti reposui. Neque ego aliam personam nunc indui, veterem exui. Semper mihi (ò tu qui vides & scrutaris has fibras!) semper stetit infixam menti Religio vera, à maioribus tradita. quam & palàm loquimur & profitemur. semper hic sensus, antiquare in Religione, &  
cum

cum maioribus sapere: nec hunc calumnia aut vis vlla, non dicam exuret nobis, sed exuret. Neque eo tamen inficias, non semper palàm professum. quo bono, aut cui? Semper hoc videndum ciui bono, ne sine emolumento Reipublicæ & suo; imò ne omnino res eat turbatum, intempestiuâ licentiâ, aut ardore in fumum abituro. Displicent in Republicâ non pauca, fors & pleraque omnia; videat an malo remedium reperiatur. Non inuenit? sed nec perimat ægrum corpus, & quod inualetudine suâ extrema minatur. Prudentis medici est, in desperatâ valetudine, non adhibere desperata medicamina, quæ plerumque tardè gradienti ægro, præcipitio consulunt. ergo naturæ illum relinquit, & suggerit quædam in robur & leuamentum, si fors victrix natura mali, pulsâ quâ opprimebatur malignitate, reualescat: aut vt ægrum suum paullatim robustiori medicabulo paret, dum crescunt vires, generosiori medicamini respondententes.

*At LIPSIUS hîc tacebat.* Ita soleo: nec monita spargere non audienda. Ego qui sum, qui aduerso ferar æstu & ventis? aut qui turbatum iam flumen, turbem etiam magis? heus bone, non soleo. Audire, & vbi res tempusque ferunt monere; hoc soleo: si negant, si deest concio, transire, quasi non mea, quasi aliena, quasi alterius foculi ahenum, alterius cellæ vinum. hoc soleo. hoc meum. hoc LIPSI est, eritque cum bono Deo, à quo hæc manant, ad quem & refero, cum vni illi debeam.

*Verùm silui: & repressi intimos sensus meos de Religione, quoad apud Battanos vixi.* Factum. nam cui retegerem, aut quo bono? æuum & homines ignorare mihi videntur, qui aliud volunt à silentio. & rerum hic status, non viros quaerit, qui audire norint & silere? an à scholâ & vmbra adolescentulos, quibus omnis prudentia in linguâ? Miserum LIPSIUM, qui in hanc ætatem incidit, in quâ nihil tam prouidè fieri potest, quod non vellicare malignitas consuevit. Ego in eâ Republicâ prudenter de Religione verbum iniicerem, quæ variam in primis & miscellam Religionem induxit, stabiliendo vt putabat sceptro? ego meam interspargerem, qui vnâ, & vnâ tantum, in vnâ Republicâ semper probaui? qui risi

Aegy-

Aegyptios Reges? Ofatuos! Vnionis auctor Religio vna; eâ confusâ semper turbæ. ita sensi, nec quidquam muto. tu variam dilaudas, & quæ ex cuiusque voto fabricata: quia libertatis hîc species. ego hanc à Republicâ repellendam iudico. Vter iustius?

Nam quod de libertate inclamas, vbi prudentia tua, si eam in cuiusque delectu ponis? etiam criminum? etiam scelerum? etiam immanium flagitiorum? nam si in his libertatem tollis, & præscindis hunc funem, quid respondebis? Liber homo natus est, & in manu iudicij sui positus: tu quid negas, quod natura illi concessit? Bono illius negas? quid si illenolit hoc bonum? imò, permitti sibi quod vult velit, tamquam bonum; cùm sibi persuaserit, omnis fastigium boni, in quiduis agendi libertate consistere? Quid respondebis inclamanti; Quid libertatem adimis, qui non concessisti? naturæ munere hanc accepi: quid inuolas in illius dona? quid concessam violentas potestatem? Tu verò nihil his motus, improbam, & in Reipublicæ perniciem natam libertatem tollis, etiam propositis pœnis. quid ergo libertatem concedis in delectu summi Dei? aut quod crimen maius, inuolare in alienas facultates, sanguinem fundere, an de Idololatriâ cenferi? alij Deo cadere, alij supplices manus tollere, alij litare: hoc volo, alium pro Numine, optimo, maximo habere; verum Numen negare? In Republicâ vestrâ, si magistratus, si Imperatores bellicos publicè designatos, non admittat priuatus aliquis, aut è mente suâ alios deligat quibus pareat; non continuo crux & ignis? & in alterius Dei delectu, nemo vel crinem turbet? Iam quid aliud volunt, qui in fidei rebus, pro suo singuli arbitrato, aliud atque aliud statuunt? nam ab vno Deo, non nisi doctrina eadem: hanc eadem ditatem quicumque tollit, & pro illâ variam mutuoque pugnante statuunt; varios, necessum, mutuoque pugnantes, primos summosque pugnantium rerum auctores statuunt. neque enim ab vno Deo, si Deus est, de vnâ eademque re, tot aduersantia, inuicemque se interimentia pronuntiata enasci possunt. Et Deus, si Deus est, verus est, adeoque ipsa veritas est. at hæc vna est, si veritas est; plura falsitas admittit. Verum quid-

quid est, non nisi vnum est. Quis ergo paullò prudentior probare illam Rempubicam poterit, quæ plures, id est falsos (nam id consequitur) deos instituit, firmandi sui causâ? facit hoc, quicumque plures Religiones statuit. Vnius enim Dei, cultus vnus, Religio vna, doctrina vna est. Non mihi ergo talis Respublica, sed tyrannis. nam legitima illa salutem subditorum præcipuum habet, imò vnicum finem. In hoc ergo omnes miscellæ Religionis Respublicas culpo, non modo vt impias, sed etiam vt improuidas. nam quæ hæc securitas ab alienâ turbâ? à dissentientibus in summâ re animis? infirma. Neque ego Rempubicam vllam perennaturam putauerim, vbi in animorum dissidijs aut odijs, ij qui regunt, qui reguntur. partes enim factionesque erunt: & in te hi vel illi insurgent, si tu pronior in hos vel illos. exemplo illud Aegyptij docuerunt. & quod regnum magis anceps, varium, imò & cruentum, quàm illud, fuit? historiæ legantur. Expecto quid tu respondeas, & quo acumine hæc expungas. Decurris ad Iulianum? non nego, exemplum est, vestro simile. numquid probum? Ammianus ita narrat: *Ut dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissâ in palatium intromissos monebat, vt civilibus discordijs consopitis, suæ quisque religionis seruiret intrepidus. quod agebat ideò obstinatè, vt dissensiones augente licentiâ, non timeret vnanimitatem postea plebem: nullas infestas hominibus bestias, vt sunt sibi feralibus plerisque Christianorum, expertus.* Nota, nota. Duo spectauit. primùm, securitatem suam ab hoc Christianorum dissidio: secundò, exitum ipsum Religionis, quam licentiâ hac fecabat, & quasi deducebat in varios doctrinarum riuos, vt ingens illud magni Veri flumè tolleret. Hæc Iuliani mens, quam Optatus Mileuitanus præuidit, & aperuit: *Eo modo putans Christianorum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesie, de quâ lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permetteret.* Tu hæc si probas, parùm Christianus es; si improbas, parùm sanus es, qui imitaris: vt quid enim hanc lunam in te trahis? Et fide bonâ, quid magis Rempubicam firmat, quàm eorum qui præsunt, qui subsunt, animus vnus? & in vnâ re, summâ re, firma colligatio? Quid verò magis animos colligat, quàm

quàm vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma? Hic amor non à superficie natus, qui quolibet vento deuertatur, sed ab intimis fibris, quem nemo sine fibris ipsis euellat. Atque hi tales solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Contrà vbi hæc varia, non ipsi dicunt, qui pro te dicunt, Aegyptij Reges & Iulianus? qui palàm fatentur, dissentientes religiones induxisse, vt subditi dissiderent? Tu si potes, aliud ex his euince, & doce pugnantes Religiones inducendas, vt subditi colligentur: nimirum per conciones & lectiones pugnantium doctrinarum: quæ quid sunt nisi flabra atque incitamenta turbarum? doce non esse. doce non facilè dissentire in externis, qui in sensu interno, & in salutis ipsâ summâ. Repeto. moue hanc omnis benè institutæ Reipublicæ anchoram, & firma si potes nauem. neque enim fieri potest, vt in tantâ varietate adeò ex æquo librata sit omnis Religio, vt non vna alteri præualeat. quæcumque talis est, non patitur æmulam? quæcumque subiacet, extra metum est? Silet fortè hæc oppressa. resumptura animos, si creuerit. si par priori, aut superior, an tacebit? exempla docent. Heu meum Belgium! orbi ludibrium debes. O Regnorum ille flos, vt emarcuit ab hoc vario imbre!

De superstitione quid dicam? Cicero tibi lumen præfert, ne quid libero nimis pede vageris: *Religioni parendum est, nec patrius mos contumaciter repudiandus est.* Et mihi quidem sedet, pio maiorum sensu, omnem hunc, qui apud nos est, cultum è salutis nostræ principibus defluxisse; etiam actiones, & quæ circa eas, tempora dico, modos, ornatum, splendorem forinsecus, aut in ipsis adytis. Tolle hæc, quæ tu vno Superstitionis nomine, refluat omnis exterior cultus; & cum hoc quidquid est internæ venerationis. Hinc Deus ab omni æuo prouidentissimâ curâ prouidit externum ritum: ne remoto hoc flabello, omnis cælestis ignis innatus animo, abiret in fauillas. Neque in vnâ Religione hoc tantum: in omni politico corpore eadem videbis. Seca quidquid externum, momento interna ruunt; & iam Regna nulla, Imperia nulla.

*Verùm aliud olim dixi.* O quoties eadem! Augustinus, antè Manichæus quàm noster; Ambrosius antè deorum cultor



cum Constantino : & Gallia ante Dionysium qualis fuit ? illius Reges ante Remigium quales ? quales ante Seruatium & Maternum Belgæ, ante VVillebrordum Battaui ? *Dixi tamen aliud.* Dixerim; & fors etiam scriptis aliud exciderit. non pœnitentiam olim talium ago ? atque hæc non satis est ad dicta scriptaque illa omnia vnâ spongiâ eluenda ? nec nouum in iuuentutis calore, calida quædam, & tamquam à musto spumea euaporari, quæ maturior ætas purget ab omni fæculentiâ. Et quis vestrûm, cuius non aliquod dictum factumque iuuentutis primæ, quod pœnitentia pœst correxerit, quod factum dictumve nollet ? Ac nescio, an humanum sit numquam labi. Audi eloquentiæ flumen: Οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων ὄντα, χωρὶς ἁμαρτιῶν. *Hominum nemo vitio caret.* Audi Suidam: Μὴδὲν ἀμαρτεῖν, ἔστι θεῶν, καὶ πάντα καθορθεῖν. *Deorum est, non peccare, & cuncta rectè facere.* Nescio denique an humanum, primæ illius ætatis,

*Dum roseis venit umbra genis, vultusque recedunt,*  
cespitationes obiectare viro. Hac enim ratione, & iuuentutis ignorantiam, infantix inscitiam, cunarum balbutiem, fasciæ fordes obiectabis viro. quod quâ prudentiâ, tu iudica.

Quamquam si procul calumnia, & adnatus magnis liuor, vel me tacente, libri docent, quid in mediâ Battauiâ de Religione, & vnâ Religione senserim, nullius purpuram, nullius ferrum veritus. nec erubuit calamus palâm testari, quod ab vberibus altiùs imbiberam, quàm ciuilibus his nimbis exhauriri posset. Lege quisquis verum amas : nullius iudicium reformido, tantùm inuidia & odia semoueantur.

## C A P. V I.

*An nomen Christiani in Mariam mutet.*

**R**EDANIUS. Nomen in Baptismo datum transcribe Matri, & auctoribus ducibusque Iesuitis, da te in Sodalitium Hallense: vt ijsdem sacris initiatus, dehinc pro Christiano

ftiano dicaris mitiore vocabulo Marianus; aut, si vis breuius veriùsque,

*Vnum de medio tollere iota potes.*

LIPSIUS.

*Bacchum in remotis carmina rupibus*

*Vidi docentem (credite posteris)*

*Nymphasque discentes, & aureis*

*Capripedum Satyrorum acutas.*

Hos inter auritos Satyros, nofter hic festiuus poëta. At tu quicumque hunc vides;

*Fenum habet in cornu, longè fuge: dummodo risum*

*Excuiat sibi, non hic cuiquam parcat amico.*

& mihi fucum hæc faciât? Alijs scurrilitates tuæ, alijs. ego illas credo ab audaci aliquo & malè sagaci ingenio, à temulento deructatas pectore: quas à compotoribus propinatas, tam malè stomacho mandaueras, vt necessum fuit regerere. & dum hæc spargis, festiuus admodum tibi videris: at nos risimus camelum saltantem. O bone. *Omnes videmur nobis saperda, festiuui, belli, cum simus coprea.* An me, an quemquam, cui cerebrum in capite, pudeat ascribi in sodalitium Dei matris? an pudeat vocari Marianum? Qui matris, filij est: qui Marianus, Christianus est. Et quod tibi nomen sanctius, Lutheri, Caluini, an Dei matris MARIÆ? quod sodalitium, huius an illorum? Ac ole non est hîc locus tuis flabris: alias terras & maria cogita. Speraues risum teatro: festiuus de compitis scurra, aut de piscario scammate effrons muliercula. *Lipsius pro Christiano Marianus, aut Maranus.*

*Euge tuum bellè: sed bellè hoc excute totum:*

quidnam intus habet? Pulmentum pueri huic graculo. ego quid dabo? dictum vetus:

*Qui captat risus hominum, famamque dicacis,*

*Fingere qui non visa potest, —*

*— hic niger est, hunc tu Romane caueto.*

cuius ego si mores, si vitam spectandam dederò;

*Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,*

*Ut malè defensus.*

Ii 3

Nolo

Nolo conuitium conuitio, fordes fordibus eluere: at ne falsis quidem vera reponere. Equidem

*Vt sis tu similis Cæli Byrrhique latronum,*

*Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me;*

cur hæc in nil merentem conijcias probra. Et vis tamen in omni hoc risu tuo mentem meam? vis verbo? Dei sum. Dei matris sum. imò quia matris sum, Dei sum: neque enim matris esse potest, qui non est filij; nec filij, qui non fit matris.

*Huius ero uiuus, mortuus huius ero.*

*Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.*

Post omnem hunc cachinnum, aperi te tantum, nomenque tuum. quid erubuisti? aperi. fors in illo reperiemus cachinnabiliora. aures albas, bifidos pedes, cornua, & barbulam. retege altum à sanguine nomen Arcadię matris. Achilles an eius frater es? Hercules an Cacus? Quid refugis? palles. ita solent qui furti tenentur. Amicus es? quid amicum vereris monitorum auritissimum? Hostis es? quin palàm congredieris, si vir es: imò si esses, iam frontem ostentasses: nec à decem passuum millibus, sed cominus, cominus inelamasses:

— *Ego hanc macheram mihi consolari volo,*

*Ne lamentetur, neve animum despondeat,*

*Quia se iam pridem feriatam gestitem,*

*Que misera gestit fartum facere ex hostibus.*

Aude pedem pedi. en me. Quid quæris oculos, quorum præstringas acies? en me, tantum aude. egredere. O virum

*Fortem, atque fortunatum, & formâ regiâ*

*Tum bellatorem,*

qui nomen tam enixè tegit suum! nam ego posthac dicam

*Pyrgopolinice te vnum in terrâ viuere*

*Virtute, & formâ, & factis inuictissimis.*

qui numquam hostem videris. Interim, ego tibi, quicumque hæc leges, edico fide optimâ:

*Periuriorem hoc homine si quis viderit,*

*Aut gloriarum plenior, quàm illic est;*

*Me sibi habeto: ego me illi mancupio dabo.*

CAP.

## CAP. VII.

*An ingenij dotes submittat Idolo Hallensi.*

**R**EDANIVS. Largissimas ingenij animique dotes, largissimâ Dei manu in te collatas, veluti fasces supremi in litteris honoris atque imperij submittis Idolo Hallensi; & talenti tui diuinum munus defodis ad eius aram.

LIPSIVS. Hic feris, ibi palpas. nimirum: \* *Εκ τῆς αὐτῆς ὀσμῆς* \* *Ex eodem ore dulce & amarum manat.* O te Ioabum, Abnerum Lipsium! Sed hîc cum tibicinem ad ostium Lipsij canere iussisti, ad Diuam deflectis, in quam defœuias. & quid tibi cum isto axe? quid culici cum elephanto? quid hîc fauos spargis & fella misces? quid rosas, & ingenij mei mulsa, quid litterarios fasces substernis Idolo? At ego id facio, qui submitto Idolo Hallensi. Cornua tibi esse putabam; nunc mugis, vacca es. Tam stolidâ à te? imò tam fatua ab homine? Nullû mihi Hallis idolum. neque hoc diceres, si ab Apostolo idolum didicisses. Imago ibi Diuæ meæ, Dominæ meæ, cui post Deum, Dei matri, SALVTIS & CLEMENTIÆ non vnâ aram debeo. Ringere: & si voles, cum Ischariotâ dirumpere. Ego illi, quidquid in hoc pectore eruditionis, intacto victimam; felix, si admittat. Ego illius pedibus, quidquid hîc ingenij, substerno arenam; beatus, si calcauerit. Ego hæc talenta, diuinum munus, defodio ad illius aram, quæ etiam seruatum ite eos ipsos qui se perdunt. Ego eruditionis (fas sit ita loqui) stellas omnes spargam & defigam in hoc secundo cæli vertice. Sed & huius Diuæ, Dei Matris, quæ Hallis est, effigiem venerabor. Factum hoc Imperatoribus, quorum imagines in signis, & effigies etiam in castris: atque ad eas exteri ducebantur; & in obsequij signum venerabantur, ac tamquam præsentem adorabant. Tacitus Annal. xv. *Medo tribunal, & tribunal effigiem Neronis sustinebat. ad quam progressus Teridates, cæsis de more victimis, sublatum capite diadema imagini subie-*

subiecit. & ego, verebor, Diuæ nostræ, Dei Matri, imagines arâsque ponere? venerari? non si te tuosque omnes rediuiuos patiar Achitofelos:

*Quales nec statuas imaginesque,  
Aere aut marmoribus, coloribusque,  
Mentor, Praxiteles, Scopas dederunt:  
Quantas nec Polycletus ipse finxit,  
Nec fit Phidiaco figura celo,*

tantas maiorésque etiam dabo; si non ære, aut perituro marmore, calamo hoc, & LIPSIANO (abi inuidia) calamo æternum cum bono Deo perennaturo. Sed neque res mihi magna vlla, sine hoc fidere, Dei matre: addo, nec Christianorum vlli. Vt enim Architectis opus nullum rectè proferit sine libellâ ac lineâ: non item mortalibus nobis, sine normâ hac directrice.

### CAP. VIII.

#### *An coactionem in Religione inducat.*

**R**EDANIUS. Libertatem apud nos (nec aliud in ore tuo) eoque nomine Ordines huius assertores probare & laudare tibi solenne. homines nos esse, ratione non ferro duccendos; liberos nos, ac proinde liberam Religionem, liberum de Deo sensum. nunc ad vnam aliquam arbitraris cogendos. hanc mentem si repressisses, veniâ dignus eras; nunc cum ad eandem, tamquam face, Principes accendas, quis perferat nisi seruus natus?

LIPSIUS. Hic vnguis in tuo vlcere. Quid inclamas?

*Da spatium tenuemque moram, malè cuncta ministrat  
Impetus.*

tecum habita. te, teipsum in concilium aduoca, dannabis hunc damnatitium tuum æstum. Et quod tibi tuisque assidue in ore, Augustinus refellit: *Frustrâ dicis, Relinquar libero arbitrio. cur enim non in homicidijs, & stupris, & quibuscumque alijs faci-*

Contra  
Crescent.  
cap. 51.

facinoribus & flagitijs, libero te arbitrio dimittendum esse proclamamus? quæ tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilissimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem: sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam. Quid si exempla etiam huius coactionis? Non Deus ipse Iudæos coëgit sacra & cærimonias suas agnoscere? non igne, serpente, ferro reluctantes coërcuit? & quisquam hîc mihi Deum damnabit? mulcentem volet, non minitantem, non cogentem? Quid? vos ipsi quoties hostes iudicastis, qui sacra vestra aut non susceperunt, aut alia delegerunt? quoties capite constantiam luerunt, qui maiorum placitis fortiùs institissent? Notum illud apud vos, *Libertas*. at quis vestrùm eam consecutus, Catholicis, id est nobis, verè Christianis, verè Romanis, verè Apostolicis, libertatem aut permisit, aut cùm posset non ademit? aut demum leui verborum compulsionem contentus, intra minas se tenuit? Quoties ignes sensit, & Decianis sæuiores flagra? Dionysianis truculentiores gemitus? Neronianis immaniores proscriptiones? Leuiânæ hæc à Libertate mala? Verùm tu hæc ne attingis quidem: & si quando à nobis auditis, nugas & nebulas verborum offunditis, & dimissâ vbiq; accusatione nostrâ, bellorum ciuilium fortunam opponitis. Et ego nolo nunc hæc tristitia; audiamus de re ipsâ Ambrosium: *De negotijs ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse violandum; & præceptum de Religione calcabitur?* Quid, quòd pœna in ciuiliu denuntiationum transgressores: & nulla erit in Fidei imperia temerantes? maximè cùm nulla res æquè ciuilem ac politicum statum immutet, ac Religionis innouatio: neque ab aliâ re maius periculum imperijs ac sceptris, quàm ab innouatâ religione: magis etiam ab effusâ quiduis credendi & docendi libertate. Hinc apud omnes gentes coërciti ac puniti religionis nouatores. Nihil hîc de Atheniensibus, Romanis, reliquis, dico: Iudæi, qui proximi ad sacra nostra, quàm hîc duri? nec cohabitationem admittunt cuiusquam à patriâ religione dissidentis. Quid in Ecclesiâ Christianâ veteri? Licentia effusa numquam fuit, postquam illa Principes habuit Christianos; imò correctio semper in nouatores

Anno  
1532.Anno  
1535.Anno  
1534.Anno  
1544.Anno  
1535.\* Illud ve-  
rò est om-  
nis culmen  
insania.

fuit, aliàs alia, pro tempore scilicet astricta magis aut remis-  
sa, proque inuouatione lenis aut seuera. Exempla dabo. no-  
ta vetera: & recentia tangunt propiùs; nec vlla magis, quàm  
quæ domi nostræ nata. Quare cum nulli vobis propinquio-  
res sint, quàm maiores vestri vobis, vos vobis dabo. Ioannes  
Matthiæ Harlemensis, nouus orbi Enoch, quantas Amstero-  
dami turbas dedit? Haud dissimiles Ioannes van Gheel in eâ-  
dem ciuitate: arcem in eâ, & regni sui sedem habiturus, ni  
fortiter obuiam itum esset: & stetit hic religionis prætextus  
ciuibus magno sanguine. Iam Ioannes Leidenfis factor, quàm  
scelestè VWestphalis imposuit, cum se Israël's iactaret Re-  
gem, veteribus promissum, vt eriperet suos è diutinâ seruitu-  
te? at nisi potenti exercitu Imperij Principes, Monasterium  
nouij Imperij sedem obsedissent, recepissent, ipsumque & asse-  
clâs dignis supplicijs affecissent, magnas Europâ totâ flam-  
mas sparsisset, non vno sæculo delendas. Et Dauid Georgius  
Delfensis, officio vitrarius, vibex & macula suæ gentis, qui se  
Spiritus sanctum cælo missum, & à Filio antè promissum  
proclamabat, non res semel mouit tam fatuo commento?  
Nec dissimilis fraudis impostor alius Hermannus futor, qui  
se apud Frisios cælestem Patrem palàm assereret, & Cornelius  
Int-kerckhof, qui se tanti patris cælo natum filium impuden-  
tiùs an stolidiùs iactaret, non Rempubicam mouissent, ni  
occursum tempori foret? Quid Theodorus factor? ausus est,  
inauditâ sæculis impudentiâ, se, socios, mulieresque comites,  
palàm ostentare nudos, quòd veritatem negaret tegendam;  
nudam illam esse, aspernari abscondi. nec defuissent qui cre-  
derent, nisi Magistratus prudentiâ extinctus hic minita-  
bundus ignis fuisset. Hæc stolidi hoc æuo. \* Τὸ γ' ἐστὶν ὑπερ-  
βολὴ μανίας. ô noctes prudentiores hoc monstro! erubescant  
vel emortuæ lucernæ ad tam fœdam caninam proluuiem  
Henrici Nicolai. non suffunditur homo, non nupta, non vir-  
go, ad alienos amplexus: nihil hîc intactum, nil sanctum,  
non thorus, non sanguis, non pater, mater, soror; prout fors  
dederit, & impudentes tenebræ. Plura vetat pudor. & hic ta-  
men quàm non semel vniuersam propè Reipublicæ ancho-  
ram mouit, ni occursum impudentissimæ libidini foret? At-  
que

que hi omnes, sub purioris Euangelij, & à fæce sua secreti, nomine. ita plerumque sub honesto hoc velamine, latent spurcitæ, impietatis, scelerumque ingentia maria: regiturque hoc quasi mantello improbitas omnis. retege: nec iam de religione bella vlla. & Paullus Aemilius in Phil. 11. pro me retegit. *Nihil in sacris bellis perinde obfuit, atque mos iam exortus, ut honestâ præscriptione suas quisque respiciat res. In ore omnium sanctum piûmque versetur: consilio, conatu, animo, secûs afficiantur. Si de Religione tantum agatur, si obliuio noxæ sanciat, si sanatis mentibus fortunis hominum abstineatur, omnes idem sentiant.* Credas vatem fuisse, & scripsisse in hoc æuûm: debebatur nimirum hæc pestis ætati nostræ, vt tot portentorum mater, ignara antè monstrorum, fieret Battauia, armaretque in sua viscera filios: & armorum honestæ aquilæ, Euangelium; & lapsæ iam ac cum ætate senescentis, aut emortuæ fidei, iuuenatio. O quando ferenior nos cælo aura respiciet, & difflabit, quibuscum luctamur, fluctus! neque enim tam acria, tam diuturna bella pugnata legimus pro Religione. Iuuenalis pro monstro habuit, duo oppida in Aegypto concurrisse inter se ob hanc causam, & id dignum Satyrâ censuit: quid nunc scriberet vbi Europa pænè totâ?

— Pariter stabulare bimembres

*Centauros, vnaque ferunt Cyclopes in Ætnâ*

*Compositos; sunt & rabidis iura insita monstis*

*Fusque suum.*

& nos, infelix Belgium, vnius Religionis obtentu, tamquam militari exciti tesserâ, euolamus auidi in amica olim viscera, in focium sanguinem, in vnius vteri nexum, orbi fabula & lusus. O mea Battauia, vbi candor, morumque simplex suauitas? Decurrimus ad arma; & audeo dicere, armorum causas nescimus. Obtenditur *Libertas & Religio*. Nomina sunt & sparsæ in medium nuces, irritamenta puerilium defensionum. Et quis, amabo te, vos impulit ad innouandam Religionem? nescis à nullâ re maius periculum imperijs & sceptris? Exempla domestica dedi: at tu, vt video, externa expectas. Dabo. Aegyptius, sub Claudio, non triginta hominum millia sibi adiunxerat, Ierosolymam regiam habi-



Anno  
1525.

turus, ni à Floro Præsìde fortiter obuiam itum esset? Haud dissimile Marici illius factum sub Vitellio in Galliâ; Emmanuelis Abrahami dicti in Africâ, quo etiam Marocensium Regem regno & vitâ spoliauit. Apud Turcas, nonne aliquoties res motæ hoc prætextu? Schacoculis & Calender Zebelis, pluresque in illo imperio, non sat magna innouatæ Religionis documenta? Quid Germania nostra? Zuinglio ductore, quot suorum funera vidit religionis obtentu? centum milia si dixero, nihil dixero: ita passim defæuijt hæc pestis. Quot Sueuia, & circumiacentes prouinciæ, Thomâ Muncero duce? Iam Misnia, Morauia, Lusatia, Austria, Silesia, Hungaria, Polonia, Suecia, Dania, Bohemiæ ante omnia regnum, Zifkâ & Procopijs ductoribus (quasi deesset cælum quo rigaretur, quo tamquam vbere lactaretur) quàm triste ostentauit solum sanguine suorum fecundatum, vnius religionis prætextu? Cùm sæuissent Orebitæ, Thaboritæ, Orphani; cùm tot sexus omnis myriades terram propè integerent, & sanguinum quædam maria protruderent; non fatis hæc ad omnem posteritatem erudiendam, & nouitatis auctores acrioribus etiam pœnis coërcendos? Ut iure hîc concludam Liuiano dicto: *Nihil in speciem fallacius, quàm praua religio, vbi deorum numen prætenditur sceleribus.*

De Libertate; quid dicam? Qualis illa, quæ momento omni pendet ab armatâ militis dexterâ? adsit modò dux, non deerunt qui sequentur. Vnus aliquis candelam præferat, aderunt extemplò faces & ignes, quibus Respublica, palea & aridum seditionum lignum, ardeat vniuersa. Quæ ergo libertas, in alienâ manu, militis manu, & externi militis manu; quem nec sanguis patrius, nec patria pietas, reuocet ab excidio?

Sed iam tibi, ô æterna Sapiëntia, *letus, lubens, laudes ago, gratias gratiasque habeo*, quòd duce te euasi ex illis salebris, & loca deueni, per quæ facilius mihi tutiorque ad te cursus. Hîc viuo, Deo, patriæ, amicis, mihi; apud veteres Grudios, veteres amicos, ac propè ciues. In hoc scientiarum nemore, mecum & cum Musis in gratiam redij: & eminus specto nubes iam iam ruituras. Auerte, qui potes, Deus.

Verùm

Verùm ad calumniam. Ego in Religione libertatem aut illius assertores probare solitus? quousque odia? cuius hæc verba, VRE, SECA? potui fortiùs? ego religionum pro cuiusque arbitrio delectum? in re medicâ, & politicâ gubernatione non interitus ab hoc libero arbitratu & delectu? & in Religione salus stabit cum hac arbitrariâ prodigiosâ sequelâ? aut tantarum religionum inuicem pugnantium auctor Deus vnus? aut ad vnum mutuò se interimentia placita?

## CAP. IX.

*An Vstionis & Sectionis auctor.*

**R**EDANIVS. Homo mitis, qui lenitatem passim profiteris, ac ipso vultu Stoïcâ quamdam lentitudinem, vstiones nobis ac sectiones inclamas, Iberici consilij tesseram.

LIPSIVS. \* Πρὶν ἐσφάλας, δέρεσ. Legisti mea? si non, nã tu insigniter impudens es, qui non lecta carpis: si legisti, malitia tua immanis est, appingere quæ nec cogitata sunt. & tamen hîc, si vsipiam, triumphas, & inueheris albis equis. Ego quid? teneor, nec orci me galea teget. nimirum: *In Religionis negotio, in quo libertas cuique ex voto, ille semper clemens, & modestus, cultros & ignes admouet.* Quid dicam? aut quæ verborum moderatio effrenes tuos impetus cohibeat? Vt calx aquâ accenditur, ita tu efferaris temperanti omnî sermone; neque tamen silentio hîc tueri me debeo. Quid? ego tibi sum ille Cyclops, Phalaris, cui ludo & ioco sanguis humanus? tu homo in hac luce temporum, audes hæc sic palàm mentiri? quasi nemo esset, qui mea legisset, aut legeret. Admoue cucurbitas, aut peristi: neque enim tibi hîc sinciput lanum est. intereâ hæc à me habe: Quicumque sedatè mea legerit, nec sæuitiam nec lenitudinem increpabit: & fatebitur viam præscriptam, quam bono generis humani iniuerint hodie qui regnant. Fatebor

\* Priusquã  
occideris,  
excorias.

Kk 3 tamen,

tamen, in lenitudinem semper pronior. adeò, si peccandum, in hac parte malim, quàm in aliâ.

Et tamen, *Ure & Seca*. Num ferrum statim in omnes & ignem? O bone, non. sed pro modo delicti coërceri volo & puniri; patrum in primis exemplo; quando à vanâ Religione turbæ & dissidiorum faces accensæ. In Lucretio non legisti,

— quòd sæpiùs olim

*Religio peperit scelerosa atque impia facta?*

Hæc ubi denata, an non secandum censes? vis parci? vis semper? etiam cum Reipublicæ interitu? Leidæ, Levvardi, Amsterodami, Monasterij, annis 1533. 1534. 1535. voluisses parci, voluisses omnibus? Non tunc plerique rogati quid in viscera sua sæuirent Battavi, responderunt, non fortius quam prudentius,

◦ *Neglectis vrenda filix innascitur agris?*

& tu (aude) damnas Respublicas, quæ has pestes sustulerunt? Voluisses seruasse? quæ hæc clementia est, paucos seruare, ut plurimi pereant? Vera veriùs clementia est, paucos tollere, ut serues plurimos; paucos reprimere in nequitia suæ cursu, ne ad alios malum serpat. Monet Seneca: *Si cogitaue- ris tecum, remedij causâ quibusdam radi ossa & legi, & extra- hi venas, & quedam amputari membra, quæ sine totius perni- cie corporis herere non poterant; hoc quoque patieris probari, nullam esse sæuitiam, ut qui viui noluerunt prodesse, morte certè eorum Respublica utatur. & alibi: Quedam hastilia de- torta, ut corrigamus, adurimus; & adactis cuneis, non ut fran- gamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio praua dolore corporis animique corrigimus: eoque magis, quò ingenij grauius malum est.*

Antè tamen quàm ad hæc extrema, verbis, monitis, præ- mijs, minis etiam emendatio tentetur; nouissimè ad pœnas, & quidem lento gradu: exemplo medici, qui, ubi frustra mol- liora cesserunt, ferit venam; membrisque si adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec vlla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est. Dura tamen hæc sectio. Respondet Tertullianus: *Horrorem operis fructus excusat. Ululans deni- que ille & gemens & mugiens inter manus medici, postmodum eas- dem*

Seneca.

In Scor-  
pic.

dem mercede cumulabit, & artifices optimas predicabit, & seuas iam negabit. idem faciet Respublica, valetudini, id est tranquillitati restituta. Graue tamen illi qui patitur. A Tertuliano lenimentum capiat: *Medicina praesidium plures refugiunt, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi. Et est planè quasi seuitia medicina de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio; non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcirco malum, quia dolores tibi adfert. nec quia tantummodo contristat recusabitur, sed quia necessario contristat adhibebitur. Quid quod sauior etiam correctio magis pro illis ipsis? Augustinus in hac re: Magis pro eis sunt leges istae, quae illis videntur aduersae, quoniam multi per illas correcti sunt. iterumque: Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, hic cadendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est.* Hos tales, quicumque in Republica es, audi potius, quam illos de via clamorosos, quibus omne cerebrum in lingua est.

Verum, *Ure, Seca.* O verba! periissent illa & calami. & tamen, ratione si dijudicamus, quid peccant? A veteris medicinae ritu sumptus sermo, qui in vlcere aut vulnere secabant, & deinde sistendo sanguini vrebant. Quis vetet eadem in animi vlcere? imò cur non magis in hoc? eoque acrius, quò huius fanies & malignitas ad plures spectat? Calvinus in Serueto praet exemplo; & vos, antè dixi, non semel. quò miror magis vos de ancillulâ Bruxellæ defossâ debacchari; nec vnum propè librum prodire sine hoc cespite. Erat è disciplinatu Nicolai Storck, Thomæ Munceri, propius etiam ex Henrici Nicolai; quem virum vos omnibus dignissimum flammis non semel iudicastis. *Sed mulier haec.* Non erant mulieres, quas Amsterodami morte coercendas Senatus iudicaret? *Sed illa turbas nullas dederat.* Respondebit pro me Seneca: *Multorum, quia imbecilli sunt, latent vitia; non minus ausura, cum illis vires suas placuerint, quam illa, quae iam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandae nequitiae desunt. Sic tunc serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortune fauore deficitur. Eadem velle*

Anno  
1534.

*velle eos cognosces, da posse quantum volunt.* An expectandum putas, quoad venena serpens fuderit? Et quem tu in Republicâ magnum virum arbitraris? qui seditionem in semine sustulit; an qui cum posset, neglexit, nec antè aggressus quàm virili robore suo plenam? Ille sine Reipublicæ periculo, & in solo noxio sanguine scelus piavit; hic non rarò etiam cum Reipublicæ interitu. Neque ille peritissimus nauclerus est, qui nauem cum coniecisset in breuia, saluam tamen deduxit in portum; sed qui vitauit. Ille si deducit, laceram plurimum, & fatiscentem, suoque iam oneri succumbentem, non sine vectorum merciumque metu deducit; hic etiam sine damni metu. Sed neque ille diligendus est medicus, qui ægrum ad extrema deducit, vt post medeatur; sed qui antè prouidâ cautione minitanti morbum necat.

## C A P. X.

*An LIPSIUS de Fato gentiliæ et.*

**R**EDANIUS. O mutationem non excelsi! Ille qui nunc in Hallensi, qui in Sichemensi Diuis, ad superstitionem omnia, qui supplex statua, qui Idolo; olim sine Deo, in Fati verba iurat: cuius imperio, se, sua, orbem substernit.

LIPSIUS. Benè sperare de tuo morbo incipio, euomisti. Verùm quid hîc lancinas? Fati nomen? Non diffitebor, familiare mihi librisque meis. verùm quid hîc displicet? Age, excute omnia mea scripta, an Fatum inuenies à me, alio quàm probissimo sensu? nescio. si erit, iam nunc rescribo, & deleo. Quid ergo super hoc displicet? nisi quòd nil tibi placet, quod alijs placet. at eò mihi placet magis, quò tibi tuisque placet minus.

*At fatalis illa necessitas, non Gentilitia est? Semper tui similis es, incogitans; intentus & paratus inferre tantum ictum,*  
non

non vitare. Hic ego antequam altum illud ingredior, præfabor lubens, me labi & errare posse. Res Theologa est; quare Theologis haud inuitus subijcio, qui potiores me isthæc cernere & arbitrari. Ad horum subsellia appello, ad quæ sola veniunt hæ causæ: tu si audes, siste te huic tribunali. Ecce quid sentiam. Numquam ego Fatum volui, immotas quasdam gentilitias causas, quas declinare nemo posset, ob inexpugnabilem quamdam inter se innoxionem, quis enim tam infans, non rideat aut illam occantem, aut hanc nentem, aut nescio quam secantem? nimirum in caelestibus nuceta nasci? Quid ergo Fatum? nisi quod Deus præprouidâ cognitione, de quacumque re, in illâ immensitatis suæ prænotione effatus est? hoc mihi Fatum, & verè Fatum, magni Dei effatum, qui ex altitudinis suæ speculâ ventura dispiciens, liberarumque etiam causarum propensiones, delectusque liberos, non potuit sæculorum ignorare euentus. Hæc scientia Fatum mihi, nec aliud. Scire enim Dei quid aliud, quàm quoddam effari est? nisi malis effatum, scientiam sequi; scientiam verò, futurorum euentum. neque enim sciri potest, nisi præeat aliquid quod sciri possit, ac quasi præiaceat intellectus operationi. Nam in quod intellectus fertur, & visualitatis suæ radios mittit, aut re ipsâ iam esse, aut esse posse necessum est. Neque hæc aut scientia aut effatum, natas iam aut nascituras res violentat: non magis, quàm visio mea sessionem tuam, scriptionem tuam. nec magis necessitatem adnectit rebus, quàm astrologi cognitio, secuturæ pluuiæ. Ita sentior. tu si quid hîc habes, extra conuitia, extra calumnias & mendacia, quibus me oneras, expedi. Videam aliquando à te veri vmbra. nam illa, quibus ad popularem inuidiam omnia reflectis & torques, & ego, & quotquot mecum doctiores, rident. Pro quibus quid reponam? veterem pœnam Rheniæ legis, frontem inuri K. litterâ, Kalumniarum indice. Vis plura de hoc profundo? nec haræ rosas, nec stabulis lilia spargo. & si altius pedem figo, in tenebris micare me fateor. O mi Sol imagne, & salus, sequor ductorem! tu mihi Phœbus in hac nocte. Et iam video, nec aperio tamen

men tibi lasciuo & stolido prouocatori. nam quæ ratio aut argutia te vincet, qui cerebrum non in capite, sed in crepidâ circumferre mihi videris; è quâ aliquid humanæ lucis mutueris, si quæ necessitas pupugerit? An tui similis reponam verba, vt sit quod dicitur Thuscum iurgium? Non soleo. & si illa voles, alium quære; non deerunt è tuâ Battauia, aut è vicinâ Germaniâ. Quamquam cordatis hîc eruditioribusque fat multa: tibi numquam satis. nam, vt ille, frustra hanc salpam contundo, numquam exiliet perdix. & plura de grandi hoc abdito

*Scire nefas homini: nos tamen prauum & debile vulgus*

*Scrutamur penitus Superos. Hinc pallor & ira,*

*Hinc scelus, insidiaque, & nulla modestia voti.*

Lyricus benè monuit:

— *quid æternis minorem*

*Consilijs animum fatigas?*

*Permitte diuis cetera: qui simul*

*Strauere ventos æquore feruido*

*Depralianteis, nec cupressi*

*Nec veteres agitantur orni.*

*Quid sit futurum cras, fuge querere: &*

*Quem fors dierum cumque dabit, lucro*

*Appone.*

## C A P. X I.

### An LIPSIVS Stoica secta.

**R**EDANIVS. Quòd si planè de tuâ fide & opinione, quam concepisti de Deo, coniecturam facere ex scriptis & vitâ velimus, propior sum existimanti, Numen te statuere quidem, & Deum vniuersi conditorem; eundemque æternum Rectorem cum tuis Stoicis credere: ceterùm de Christo haud valdè plus quàm illos sollicitum esse. & hoc quoque à Stoicis habere, vt accommodes te loci cuiusque legibus.

L I P S I V S.

LIPSIUS. Tu ex coniecturis de mente meâ? O vatem! nescis hanc mentem mare magnum esse, quod scaphulâ tuâ numquam enauigabis? De scriptis, de vitâ meâ, quid arguis? Peccaui alibi? erraui? in viam reducito. At tu verberas, nec culpam indicas, quasi ad culpam satis sit verberasse. Obsecro te, hæc modesti hominis sunt, impietatis me arguere, quasi sim in gentilium sectâ? Miror magis hanc scribendi rationem, quàm indignor. Lipsius tibi philosophatur, & adeò Stoïcissat? nec iam Christianus? Quamquam si peccandum est, indulgentiùs fors peccauerit, qui Stoïcus audiet, quàm qui Lutheranus, Calvinista, Mennonista. Et verò non auersabor Stoïci nomen, sed Stoïci Christiani. Tibi lubens conuitiatoris, linguæ tuæ calumniatricis nomen concessero. De me verò, quia dicendum est, Deum testor & homines, post calumniam natam, apertiore ac mendaciore calumniâ neminem petitem. Ego Stoïcâs in omnibus opinationes sequor? quin disertis clarisque verbis, non infima illorum damno & detestor: in quibus tamen cum Christianis contesserant, sequor, & lubens sequor. In quo quid peccaui? Numquam putavi te tam matulam. Intelligis quæ scripsi? an vt praua quæque ingenia, in meis verbis nihil intellexisti, nisi quod ante lectionem animo tuo parum sano tacitus tecum formaueras:

— *procul hinc, procul ite nocentes;*

*Si cui corde nefas tantum.*

An quia tu cum Lutero aut Caluino tuo Christum aut ignoras, aut mendacio adeò diminuis, vt non iam Christus, id est non Deus, sed sceleratorum maximus, eoque nomine exquisitissimis inferni tormentis addictus; tu eadè, aut deteriora, si tamen deteriora fingi possint, animo affingas meo? Quisquis tam improbæ linguæ est, non Iudæ

*Marsyæque timet manum & rudentem?*

nam quæ initiora speret?

De Legibus deinde quædam subiungis, quibus me pro conditione loci accommodem. Quid vis? in singulis provincijs damnare me quæcumque non probo? non soleo.

Ll 2

pro-



probare singula? neque illud soleo; nec factum à me vlllo tempore. Vis ad quamcumque aduersantem animo meo legem, ad arma decurram? non est instituti mei. Vis verbo saltem tester displicere? si emendatio speratur, benè mones, & ex mente meâ: sin grauius timetur malum, non transeo in partes tuas. quod qui faciunt, quid aliud sunt quàm dissensionum publicæ tubæ? quàm ciuilibus, quo ardemus, ignis fumenta & fomes? In quam te quoque flammam aliquid occulti ligni suggestisse vt credam, facit tua hæc ad seditionem nata malignitas.

## C A P. XII.

*An Oratio De duplici Concordiâ Ienæ à  
LIPSIO habita.*

**R**EDANIVS. Quid respondebis ad Orationem Ienæ à te habitam, De duplici concordia, Litterariâ & Religionis?

LIPSIVS. Non pudet palàm mentiri? Si fatis ad veritatem est, dixisse; fatis sit ad calumniam interimendam, negasse. Et quis innocens iam erit, si dixisse sufficiat? quis non aliquid meum aut alienum adumbrare potest, & protrudere? hoc si valet, latissimus hic ad calumniam limes: & in quo liberis quadrigis illa inuehatur & exultet. Verùm ad rem ipsam. Ego Orationis illius parens? Ab alio Ioue venit hic Vulcanus; & cui cerebrum pituita sic obruit, vt vel inspectâ illâ, me & stilum meum non requirat? Pleraque sine Charite & Venere, languida, insulsa, sordentia, absona, quæ norma & Grammatica respuat Latialis: & horum ego sum auctor? Age, ex ipso scripto quid si palàm elicio & efficio me scriptorem non esse? Dictam Ienæ, XXIIII. Iulij anno CIÖ. IO. LXXIV. vult auctor. Portentum! quod nullus explicet ab Etruriâ aruspex. Ego tunc Ienæ? Quattuor antè mensibus non fui: quomodo ergo Ienæ dixi?  
nisi

nisi cum Plautiniano Sofiâ, *Egomet me illic reliquit, & si forte oblitus fui.* Quid si ipsum Amphitruonem pto do, huius Alcmenæ virum? huius Palæstræ è Plautinâ Rudente Dæmonem; & ipsius adeò confessione, huius filia patrem? Quid lates? imò quin prodis? quin te certum auctorem tenemus? Teneo te ab amicâ manu: & palàm edico omnibus: Orationis Ienæ habitæ patens *Melchior Haiminsfeldius Goldastus.* Hic ille Pseudolus calumniarum instructor scenæ. hic ille Pandorus, qui malevolentia mantello tectus, sagittas spargit, & vulneri in LIPSI O locum quærit. Plura de hoc homine non dicam, dicent alij. qui tamen, si me audient, nihil dicent, nec dignum iudicabunt, in quem nudent dentes, qui cum laudem sibi quæfisset, tamquam à manu meâ; & vanitatem ostentauit suam, & à me, dictionis suæ infantia, notam omnem auertit. Quis enim, ne si conetur, tantas ineptias in tantillam congerat orationem, tot Therfites in vnum corpus? O semper æmula probis malignitas! quid meam scriptionem, vinum meum, & vinum (liceat iudicium de me aliorum) Falernum, vinum Massicum, inscitia, imò & malitia tuæ diluis aquâ? Ferrem, si puram miscuisses: hanc verò purulentam & in fæce suâ natantem, quis ferat? Iam quæ hæc religio est, nomen parare nomine meo? imò nomen turpare meum luto tuo? scilicet

*Ut pueris placeas, & declamatio fias.*

O quàm

—— *miserum est aliena incumbere fama,*

*Nec collapsa ruant subductis tecta columnis!*

Factum. subduco nomen meum, dictionis tuæ columnam: quid nisi ruant tecta, mentitis inædificata columnis? Nec tam miror Goldastum famam captantem, quàm hunc nescio quem de mendaci vaginâ ferrum stringentem.

—— *Quo nemore umquam*

*Expirauit aper maioris dentibus apri?*

*Indica tygris agit rabiidâ cum tygride pacem*

*Perpetuam: seuis inter se conuenit vrsis:*

*At homini ferrum letale incude nefandâ*

*Produxisse parum est;*

armantur de conuitio linguæ, non vno vulnere iugulaturæ; de mendacio calami, non vno sanguine fitim expleturi; de veneno dexteræ, non vno toxico perempturæ; & toties perempturæ, quoties hæc noui lectoris oculos subitura, Mæotide sæuior ara.

— quippe illa nefandi Taurica sacri  
Inuentrix, homines tantum immolat; ulterius nil  
Aut grauius cultro timet hostia.

at hîc dentes, linguas, calamos, dexteras videbis, toties in mortem repetitas, quoties lectoris noui (ah nimium in fidem faciles!) pauerit oculos.

---

APPROBATIO.

*Hæc Postuma IVSTI LIPSI defensio utiliter  
typis mandabitur. Datum Bruxella, die XII.  
Augusti, anno M. DC. VIII.*

Petrus Vinck, S. Theol. Licentiatus,  
Censor ordinarius.

IVSTVS LIPSIVS  
CATHOLICVS,

SIVE

DE VERA IVSTI LIPSI

RELIGIONE CATHOLICA

DIALOGVS

Arnoldi à Boecop Vſipiopolitani.

IVSTVS LIPSIVS

CATHOLICVS.

SIVE

DE VERA IVSTI LIPSI

RELIGIONE CATHOLICA

DIALOGVS

Arnoldi à Boccoq Vſiqopolitani.

DOCTRINA, VIRTUTE, PIETATE  
 VIRIS ADMODUM REVERENDIS,  
 GERARDO LIPPPIO,  
 IOANNI HASIO,  
 NICOLAO STEIN,  
 COLLEGII SOCIETATIS IESV  
 APVD MENAPIOS  
 THEOLOGIS EXIMIIS.

**N**ON diu, nec ancipiti consi-  
 lij lance deliberandum mi-  
 hi fuit, R<sup>DI</sup> PATRES, cui opel-  
 lam hanc inscriberem; vo-  
 bis deferendam putavi, vo-  
 bis deberi: sacram paginam,  
 viris DEO sacratis; rem Religionis, Patribus  
 religiosis; imò gemmis splendentibus, me-  
 lius aliquod aurum. LIPSIUS est, quem vo-  
 bis sisto, quem protego;

*Non tam certandi studio, quàm propter amorem.*  
 Illum impietatis & impuritatis insimulatum  
 purgavi: non lustralibus aquis aut Oceani  
 fluctibus, sed puris putis vndis ab ipso fon-  
 te, id est Auctore, desumptis. Scutum & de-  
 fensionem suscepi, vt pristinae innocentiae  
 restituum; probis, & si fieri potest, etiam alijs  
 M m                      appro-

approbem. sin minùs, istos contemnam. Satis triumphat Veritas, si apud paucos bonos-  
 que accepta; nec in dolores eius est placere mul-  
 tis. \* Τυφλὸν ἔχει ἤτερ ὁμιλῶ ἀνδρῶν ὁ πλεῖς, ait Pin-  
 darus. magis autem αἰρετικῶν. Quos cum Pha-  
 raone obduratos in malitia & Caucaſo ab-  
 ruptiores hodierna docet experientia. Quis  
 innocentior & sine labe purior, Virtute &  
 Modestia præclarior inter sæculares hoc ævo  
 vixit, quàm hic noster? Appello vos Patres,  
 qui interiora eius nouistis, contra fidem Ca-  
 tholicam

\* cecum cor  
 habet ple-  
 ras, homi-  
 nū turba.

*Quid dixit? aut quid tacuit? ò rebus bonis  
 Non infideles arbitri!*

Sed vita & scripta etiam clamant, & diluci-  
 dè satis ostendunt. Vt omnibus notum &  
 perspicuum esse liceat, nisi aures obturaue-  
 rint, & lolo fors victitauerint, vt oculi fal-  
 lant in adſpectu. Et tamen quis non illum  
 culpataut damnat ex istis? In ludis olim &  
 arenâ obseruatum fuit, tauros purpurâ &  
 rubore maximè concitari, qui tamen pul-  
 cherrimi sunt colorum: simile in hæreticis li-  
 cet dicamus, quorum virus prouocat ipsa  
 Virtus. Exemplo est SOCIETAS vestra, &  
 singuli è toto corpore Patres; in quos velut  
 de compacto omnes incurrunt, tamquam

—*Epicuri de grege porci.*

Et

Et qui de humano genere meliùs hoc æuo  
meruerunt? Testatur hic & alter Orbis, ma-  
iora hominibus commoda post homines  
natos ex nullo ferè Ordine promanasse.  
Alios ad frugem præitis aut deducitis, alios  
à vitiis retrahitis, aut illa appetentes retarda-  
tis; nihil gratiæ, nihil metui datis, omnia ad  
iusti normam dirigitis. In Indiis autem quot  
millia hominum ab idolorum cultu in viam  
salutis, feruore & labore cum molestiis ma-  
nu duxistis! morte & martyrio de nouo per  
CHRISTVM mercati estis! Sicut Solem il-  
lum, cùm ortus est, videmus

*Conuestire suâ perfundentem omnia luce,*  
conuestire, sed & demulcere: idem hîc di-  
xerim, fulgorem vestrarum Virtutum ho-  
nestiores quasque animas peruadere & per-  
suadere, degeneres sanare. Hæc publicè;  
quid priuatim? Puram & immaculatam vi-  
tam agitis, & cælestem in terris; super hu-  
mana vitia & animorum turbines, in Pieta-  
tis, amoris Dei ac proximi, Virtutumque  
arce sublimes,

— *velut altus Olympi*

*Vertex, qui spatio ventos nubescq; reliquit.*

Vt non immeritò multi, quibus altius ali-  
quod ingenium, vobis accenseri ambient;  
omnes boni benè velint, & vestras

Mm 2

— VIR—



Per TITVLOS, *memoresq;* FASTOS

*Aeternent.*

Sed ego laudare desistam: quia, vt Poëta cecinit,

*Fucati sermonis opem mens conscia laudis*

*Abnuat.*

Vna ac verissima hæc SOCIETATIS laus est, ex vero non posse laudari: altera, non velle. Ad me & munus meum redeo: quorum vtrumque vobis confecro. istud tale, quale bonorum fauor & amor fecerit: me, candidatum melioris & vestri amantissimum. Vsi piopoli IV. Idus Iunias Anni à partu Virginis salutifero CIO. IO C. X.

*Arnoldus à Boecop.*

A COELO PROBANDVS.

LECTO.

## LECTORIBVS SALVS.



**A**DSTE & fauete, Vos fautores & amici LIPSI: abite & dolete maleuoli & carptores inuidi; nihil ego vos moror, quia iniqui. Si tamen posito adfectu non carpere aut capere, sed sapere aduenistis, spectate & considerate, vt equos & veros Lectores decet. Lis olim mota LIPSIO; illi,

qui sic lites odit, vt nemo homo Orci portas; non de re leui, non de plumâ aut lanâ, villâ aut villulâ, sed de Fide & fibris. Pectoris penetralia Amazone audaciores penetrant, & quod Momo non licuit, mentem introspiciunt, atque in vnus DEI limites transcendunt. Hesiodus ait:

\* Κρύφατες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισι.

illi tamen huc eunt. Impuri Alastores! non ferunt radios irradiantis illius Solis; & cum Fama, quæ per Orbem diffusa, tenebras inducere & nebulas obijcere non possunt, aut ostendere

\* Mentem celarunt mortalibus immortales.

Dilapsam in cineres facem,

insultant FIDEM. Et vt striges ac nocturna volucres ossa circumuolitant, & infauso morsu cadauera inuadunt; sic proteruuli illi Nouatores & à Modestia deuij, admordere & arrodere conantur Modestissimi hominis veram Religionem, seueram Pietatem. Et talem esse volunt, qualem nemo bonus approbare potest, aut quales ipsi infelici naufragio ab Ecclesiâ Catholicâ in propriam & aliorum ruinam enatarunt:

Tanta mali tamquam moles in pectore constat.

Ægrè scilicet illis est in re hac seriâ dissentire, & militem agere in veteris militiae sacra castris; quæ hi terræ filij, salutis suæ prodigi, aut apertâ vi demoliri, aut occultis cuniculis euertere satagunt. Sed frustra. Vt enim stirpi arbores, fundamento ædes, sic illa Christo Seruatori nixa & superstructa. Quid ais tu Tympanotriba Bataue, non nauci homo? Num tandem aliquando malitiam tuam confitebere, & fuscianatri alicuius spiritus instinctu marginalia illa \* ἐξ ἀμαρτίας eblaterasse? \* è plausu  
Tu Idolomastix nefarie,

— qui perfuris acri

Cum fremitu, sæuisque minaci murmure,

Mm 3

num

num quando vinci te patieris, malè LIPSIVM, impiè DIVAM à te petitam? petitam dico, non lasam. Sagittæ tuæ in aëre hæserunt, ad destinatum scopum non peruenere. Miserum LIPSIVM si talibus configi necessum habeat, quoties vos Massagete aut Scythæ iaculamini! Et numquam etiam tu Britanne Aulice VERITATEM à te subdolè suppressam agnosces, & tartareum genium te inebriasse, & auctorem fuisse ut spurcis & fœtidis tuis frustis chartas impleres, atq; in DIVAE MATRIS & μαρτύρου illius nostri sinum hesternam crapulamper os redderes, & vinum olidum vomitu remetireris? Dic autem quid fati aut vitij te presserit:

\* Atq; hoc mihi offer veraciter.

\* Læsit te dæmon malus & mala copia vini.

\* — malo quo dæmone es vsus?

\* Καὶ μοι τῶν ἀγρόδων ἐρήτυρον.

Sed ut dixi, sic sentio;

\* Ἄσέ τὸ δαίμων αἴσα κακῆ, καὶ ἀδύσφατ' οἶν'.

Tu autem è Gallia nouus Poëta, quis te irritauit, aut

—— \* τίς τοῖ κακός ἐχεας δαίμων;

Ut tam petulanter in pium affectum viri pij arietares,  
Flammato versans inopinum corde venenum?  
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium  
Vultus in vnum illum truces?

O sæculum! Eius igitur natura hodierna istec malitia, & heretica pestis est, quam libidinosus Monachus nescio an Liliatus exul ex saucij pectoris impuro gurgustio auditoribus inhalarunt, ut omnes vel leuiter infecti non satis habeant priuatim insanire, nisi & publicè grassentur etiam, & laqueos aut foueas aliis struant? O

Infanientis gens sapientiæ,  
Addicta mentem erroribus impiis!

qua magno emerit omnem famam bonos decoxisse, & Catholicos viros inter obliterata aut damnata nomina esse!

Quò, quò scelesti ruitis?

Quàm vellem vos reuerti! Respicite amabò & respiscite. Videte Dominum IESVM, qui tam pretiosè vos redemit: cui dolorem quasi renouatis vestrà nouellà istac paraturà. Ecce à manè usque ad vespèram vos expectat & eripet, & suauisonà voce ad rauim usque clamat ut respiretis. Quid iniuriosi estis ei, qui tam beniuolè inuitat? Expandit alas, qui vos alit, & renuitis congregari? O fiat aliter! huc deserte onus, apud hunc requiem querite, qui vos rescicere vult & potest. Purgate animum, sequimini DEVM &  
Spon-

Sponsam eius Ecclesiam; in quâ sunt, ut cum Poëta dicam,  
Fundamenta, quibus nixatur vita salusque.

Syrtes in terra Africâ esse dicuntur, in quibus homines obruantur  
æstu reciprocantium arenarum, ut qui semel ingressus, cum poterit  
exit, non cum volet: hâc aliter. Licet reuerti in Sion, licet in integrum  
resitui, bonis & Orthodoxis iterum accenseri. Ecce muta quedam  
anima & irrationales, medicinas diuinitus sibi attributas in tempore  
agnoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, ut ferrum & irreuocabiles eius  
moras de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum: hirundo si  
excæcauerit pullos, oculare rursus de sua chelidoniâ. Et vos ad imagi-  
nem Creatoris facti, salutem non corporis, sed anime etiam negligitis?  
Quosdam eo ingenio, siue vitio oculorum esse ferunt, ut de die excu-  
tiant, in tenebris cernant: fortean vos iis similes: & quod deterius,  
in animo alitis, quod illi corporis impedimentum habent. Verum enim-  
uerò si omnino ——— rupistis fræna pudoris,  
& detrahtatis redire; si cum Ceritis furere libido est, vobis mali esto-  
te, nec aliis calumnias inurere aut scelera intentare præsumite. Nulli  
enim homines celerius incidere debent in malam fortunam, quam qui  
aliis illam concupiscunt. Imò

\* Οἱ αὐτοὶ κατὰ τύχην ἀνὴρ, ἄλλοι κατὰ τόχων.

Videte, obsecro, & serio semel legite (si non omnino vos mala factio  
excæcarit) hæc paucula, quæ pro LIPSIO ex LIPSIO congeffi, & vni  
quasi oculorum iectui subieci, & sine præiudicio veraciter de illo senti-  
te, ac pedibus in illam partem ite, quæ iustior & æquior esse videbi-  
tur. Et scitote DEVM in calis arbitrum esse, satis idoneum patientiæ  
sequestrum: \* ὁς ἐδάμει ἐδάμωες ἀδίκος, ἀλλ' ὡς οἶόν τε δίκαιοτατος, ut Pla-  
to ait. Imò,

———— \* ὁς τε καὶ ἄλλος

Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τῆνδ' ὄσως ἀμαρτην.

Deinde & ipsum herosa considerate, viuum virtutis & pietatis  
exemplar. Postquam enim fretum adolescentiæ, æstum & feruorem  
ingenij superauit; postquam cura aliena non fuit; cum solida mentis  
stetit in solido; nullibi vacillauit, sed constans in Religione Catholica  
perseuerauit. ut Vita sufficere possêt, si scripta non essent, aut dicta. Et  
rectè. Sicut enim arborum ille optime, quæ non florem solum sed fru-  
ctum ferunt: sic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ & sen-  
tentiæ, vita etiam est ad frugem. Piè scripsit, & pro fide suâ Ca-  
tholicâ

\* Qui mala  
cumque alij  
fabricat, sibi  
fabricat ipsi.

\* Qui nul-  
quâ & nū-  
quam iniu-  
rius, sed  
quantum  
potest iu-  
stissimus.

\*-qui mor-  
talia facta  
Mortalesq;  
videt, delin-  
quentes  
quoque pu-  
nit.

tholicâ adstruendâ Catholicè. Parum tamen illud si mores discrepaf-  
 sent. sed illud certum est, & milleni etiam oculati testes, quibus liqui-  
 dò iurare liceat, in hac parte superasse. Negant tamen aliqui & aliter  
 interpretantur. Sed hac ipsâ notâ non boni. Sit libertas huius iudi-  
 cij: experimento didici, qui virtutem ipsam & canam veritatem non  
 amant aut æstimant, vix istum. Et hercules quòd nos amamus, &  
 quòd producimus; est ob istam. Sed libemus è multis pauca; & pri-  
 mum sit, quòd in SODALITATEM B. Mariæ Virginis nomen dedit.  
 quòd summa pietatis indicium & initium esse, illi sciunt, qui eidem se  
 manciparunt. Deinde ab eodem affectu Hallas & Sichernium adspi-  
 ravit, iuit, preces fudit, pronus aræ utrobique aduolutus; pennam de-  
 dicauit & suspendit, Miracula euulgavit. nec quicquam in vitâ præ-  
 termisit quòd ad DEI aut Sanctorum cultum & honorem. Iam in  
 mortè non Stoicorum scitis contra vim morbi animum firmavit, sed  
 pro vanis habuit: Christum crucifixum veram patientiam asse-  
 ruit, digito in imaginem propè adstantem intento, cum subiectâ preca-  
 tiunculâ: Domine IESU da mihi patientiam Christianam.  
 Quid etiam? quàm primùm se ostium spectare sentiebat & foras pro-  
 minere, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis sacris myste-  
 riis animâ purgavit, muniuit, fovit. In precibus & pietatis actu per-  
 severavit, DEVM & Sanctos cælites adiit voce, suspiriis, oculis; &  
 cùm de Dei Matre quispiam ex adstantibus dixisset: Ecce nunc illa  
 Patrona clientem expectat suum, & obuiis expansisq; occur-  
 sabit vlnis, animo manibusque in altum sublatis, sic deuote precatus  
 est: O MATER DEI, adsis famulo tuo, cum totâ æternitate de-  
 certanti, & non me deferas in hac horâ, à quâ pendet æterna fa-  
 lus animæ mex. Ubi etiam incruentum sacrificium Corporis Christi  
 pro se oblatum ex Reu. quodam Sacerdote Societatis IESU Theologo in-  
 tellexisset: Faxit DEVS, respondit, Pater mi, vt sanguis ille pretio-  
 sus in me abundè deriuetur, qui in illâ passione effusus est. &  
 paullò pòst in hæc D. Stephani verba, DOMINE IESU ACCIPE  
 SPIRITVM MEVM, piè & feliciter excessit, & caeleste regnum sub-  
 iit. Ubi nunc triumphat, & lauream cõspite & manu tenet, non à li-  
 uore aut calumniâ eripiendam. Quid nunc oggannis Thomfone?  
 etiam Catholicum negas? etiam simulatorem & Stoicum asseris? ficta  
 hæc facta, coactas orationes, suspiria, lacrymas? etiam in horâ mortis?  
 in vltimâ vitæ linæ? ante tribunal supremi Iudicis?

O mul-

O multa fleturum caput!

\* ——— ἢ νύ τοι αὐτῶς

Ὅσατ' ἀπέμεν ἐς, νόσος δ' ἀπόλωλε καὶ αἰδώς.

Sed & illa anime cura post excessum, nonne Orthodoxum indiget? In Epitaphio, quod ipse sibi composuit, in hunc modum Lectorem & spectatorem alloquitur:

\*-certè aures sunt tibi tantum, Quis audire queas, perit mensi p̄sa pudor̄que.

Extremum hoc te alloquor:

Aeternum ut gaudeam, tu apprecare.

Pateram etiam duplicem inauratam, Constantiam dictam, templo Patrum Societatis legauit, ut pro se orent. Testamento condidit se mandauit in aede sacra Franciscanorum Sodalium, ante Virginis Deiparæ aram, ad quam preces quotidie fundere consueuerat. Togam optimam pellibus suffultam B. VIRGINI ad eius aram Louanij, in basilicâ B. Petri Apostolorum Principis, cultu miraculisque celebrem, offerri & poni per uxorem voluit. Et hæc non sunt clara indicia adstruende prisca fidei? Non adferam alia, nisi fors illud quis exigat, quod in scriniis inter scripta, Miracula D. Virginis Louanienſis reperta sint, eodem adfectu quo priora conscripta. itemque binæ panegyricæ orationes eidem dictæ. Sed hæc approbandi bonis, imò admiranda, damnare nouelli nostri malunt quàm discere: & veteres auias, ut ait ille, displicet à pulmone reuelli. O mala bestia hæresis! specie pulchra es, & arrides aut blandiris, caudâ vibras. O indomitum orbis monstrum! mixtum, portentosumque, & ex diuersis animalium congruentibus membris! quod nullis aptius quàm illis Virgilianis versibus describam:

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo  
Pube tenus, postrema immani corpore pistris,  
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Quis non obstupescat? ô fœdam conglutinationem! horribile monstrum!

\* Τὸ δ' ἐκιδιδάσκει καὶ ὠδὴν ἀλάσει φρένας  
Χρησὰς πρὸς αἰχρὰ παρὰ γματ' ἵσαδ' βροτῶν,  
Πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώπων ἔχων,  
Καὶ πάντ' ἔργα δυσέβειαν εἰδέναι.

Sed ego cum hoc vitio non luctor amplius, ne inquirer vel contactu. & omnes illos qui hoc alunt dimitto: \* νεγιστολοι enim sunt, & rationibus vix inducuntur. Æquos lectores & bonos compello, de qui-

\* Hoc illud est, quod mutat & mentes docet  
Ad fœda rerum & praua se cōuertere:  
Fraudes dolosque fugent mortalibus,  
Et improbos, simulque & impios, facit.  
\* præfacti

Nn bus

bus demerendis non anxia mihi cura est, nec multum laborabo. Ut boni enim bonis fauent, sic in re bona bene sentiunt, & gaudent si quid boni eueniat bonis. quod in hac sermocinatione videbunt, non enim calumniari sed purgare animus fuit, candorem non luorem praefrens. Sed hoc etiam sciri conuenit, plura & praecleara multa adferre & adnectere me potuisse in rem, sed non licuit. extra oleas diuagari non debui & limites, & transiissem si quidquam non ex Lipsio. Quaedam tamen addidi aut interiunxi, sed omnia ferè sub personam Auditoris. Quem & scire vos uelim in quibusdam interdum connuere, approbare, sed ut eliciat ueritatem. Sed satis diu uos detinui, audite nunc Lipsium, & molestum satis Auditorem, ut Doctorem suum in arenam prouocet; ac ualete.



IVSTVS

IVSTVS LIPSIVS  
CATHOLICVS,  
SIVE  
DE VERA IVSTI LIPSI  
RELIGIONE CATHOLICA  
DIALOGVS.

**L**IPSIUS. Quid igitur molestus es & semper insonas de rescriptio-  
ne; ac velut classico me excitas ad pug-  
nandum? Nollem te hoc facere. Nam  
cùm naturam meam, cùm rem ipsam,  
cùm finem fructumque video, inclino  
ad silentium magis. Natura fanè mea mitis & tranquilla  
est, & vehementiori omni adfectui aliena; & ab ingenio  
meo deferar, si irasci velim aut litigare. & si me non nosti,  
scito non esse pacatius ingenium in Belgio. AUDITOR.  
Non es pugnax, ipsa pacis proles: & scio, nihil minùs li-  
benter te facere, quàm repugnare, etiam læsum, etiam in  
facili & iustâ causâ; sed vbi æui gratiâ aliquid dicendum,  
tam virum ostendes, quàm duobus aut tribus illis olim  
aut nuper, qui non lætantur te prouocasse. Palmam de te  
vsque adhuc quis tulit? Iactare lubet, quia noui te & alios:  
& in bonâ hac vtique causâ, veniant cum Hectore Achil-  
les, non subduces. Age, repone aliquid,

— *pœnasque inimico à sanguine sume.*

Nónne vides, multos fauere contra te dicentibus, & sine  
examine pedibus in partes illas ire? Retrahēdi sunt, & vel  
inuitis oculis fulgor veritatis inferēdus. LIPSIUS. Respon-  
di quibusdam, fateor; sed comiter, nō acerbè, & commis-  
sionem & ludum magis dicas, quàm pugnam. non enim

N n 2

tantum

*Lipsius va-  
riè & à di-  
uersis adhor-  
tatur ad re-  
spondendum  
calumniâ o-  
ribus suis:*

*sed ille negat,  
quietis &  
pacis amans,  
nec audis  
rescribere,*

*quâuis iam  
ansâ fece-  
rit, & omnes  
cum gloriâ  
vicerit.*



*Mauult eos  
contemnere  
exemplo bo-  
norum; &  
quia*

tantum sine plagâ, sed etiam sine suggillatione & morfu: sicut decet verâ pietatis alumnum. Non est meum Thye-  
stæo more, quod hodie obtinet, furere aut sæuire. Aeuum  
hoc noui, in quo bonis modestisque multa ferenda sunt,  
*stomacho Ciceronis, non animo Catonis.* Quam multis non  
respondimus? quos ut infantes vagiētes habui, & risu non  
scripto componēdos. Vespasianus Demetrium Cynicum

Tranquil.  
cap. 13.

*Christianus  
Philosophus  
est, ac*

*Veritas vin-  
ci non potest.*

in itinere sibi obuium post damnationem, ac neq; assur-  
gere neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam ne-  
scio quid, fatis habuit *Canem* appellare; offensæ iniuriæq;  
minimè memor executōrve. Grande patientiæ exemplum  
quidni imiter? Non probo istos, qui ad singulos insultus  
se parant & exserunt, & in gladiatorem pugnant. Philoso-  
phi sumus? transeamus. Christiani? patiamur, alieni ab ex-  
cetrâ illâ delictorum omnium superbiâ & vindictâ. Ala-  
cres & erecti per medium calumniantium agmen inceda-  
mus, aduersus linguarum omnium tela scuto tecti *Verita-  
tis & Candoris.* Illi ringantur & liueant: nos Epinicia læti  
canemus, & auertentia sacra faciemus *Inuidia & Pallori.* Et  
apud illos vincat aut vincam, parum est: cum Aristippo,  
*Ego victus abibo, incundiùs, quàm illi victores, dormiturus.*  
Etsi non potest hoc bonis arbitris: quem te censeo.  
A V D. Sed si vincere hîc inglorium, atteri etiam sordidum  
arbitrare. Obiiciunt enim ea, quæ *Famam* tuam tangunt.

*Famam op-  
pugnât, quâ  
omnes boni  
merito a-  
mant;*

*sed commune  
illud omni-  
bus magnis  
viris, ut in-  
uideantur,*

*antiquo &  
nouo auro;*

*non autem  
seduntur.*

Et quid rerum humanarû carius famâ? quæ iure est bonis  
ante bonâ omnia & ipsam vitam. Nam hæc vtraque ca-  
duca & fluxa sunt: & opes quidem ante nos sepè, vita no-  
biscum semper abit: nomen autem & fama æternant; eaq;  
sola, cum non erimus, hîc erunt. LIPS. De me ne labora, si  
quidam inuidet aut carpunt. An ego eximius sum inter  
homines, qui sunt, qui fuere? Omnes qui excellere aliquâ  
in re conantur (non enim dicam excellunt) statim adfluit  
& adussit maleuolentiæ ista aura. Cita veteres, reperies.  
Circumspice hodie nostros: idem. Quid miraris si *Marcu-  
lus* aliquis hoc in me faciat aut *Lacon*? Mihi sententia de  
me nō nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Inter-  
no isto iudice si probus audiam, quid addent aut dement

Salustius  
Catil.

mihî

mihī istæ scripta? Calumniarum conuiciorumque plena sunt: & corniculas citius in Africâ, quàm res rationesque solidas repererim in istis. Vetus ille versus hîc valet:

Λόγος μὲν Ἑρμῶδωτος ἐμπορεύεται.

Sunt Hermodori, verba, mercimonium.

& digna, vt quicumque

Deferat in vicum vendentum tus, & odores,

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Nec famam tamen sperno aut negligo: sed hoc te moneo, Fama nō est nostra potestatis, & idē inter externa habenda est, non esse eam nostræ potestatis. idē inter externa habendam, & in momentum nullum ad beatam tranquillamque vitam. Quis sim, in me situm est: qualis audiam, in yano isto vulgo. Qui in publicâ aliquâ famâ sumus, aut vtramque excipere debemus, aut nullam: & satis si melior præponderet. Et mihi si qui hostes sunt, vitio suo non meo merito tales habeo. Lubet fidenter loqui:

— mens altum spirat honorem

Conscia factorum.

AVD. Quid igitur? Socratem te, aut Diogenem dicam? & semper in illius vestibulo ridebis pluuias, aut nō senties te cum istō ludi? cū etiam tonent Xanthippæ, turbæ subsannent? LIPS. Faciant; nos contemnimus, & cum Demosthene decretū habemus, ταὶ τῆς δευτεροκλήτου βλασφημίας ἔργων ἀπολύει: Calumniantium maledicta bonis factis diluere. Illi qui se opponunt, aut sistere conantur benigniorem famæ meæ cursum, nihil agunt: sese edunt aut atterunt, me aut mea non delibant. nec sentio illa tela volatica; nec lædar si sentiam. O quietem in hac parte nostram & securitatem! Audacter dicam, linguam aut stilum non maculo, talium vel contactu. Abite in vestras tenebras, quibus solum nomē Lipsij præscriptum leuiter vos extrahit, grauius Lipso bene viuere propositum, & malos contemere, mox deprimendos. Ego autem sto, & fulgeo. atq; vt ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit: sic istæ Calumniæ vanum aut vacuum aliquem absument, verâ virtutē grauem illustrant. Nos ij sumus, cum Deo dicimus: & quidquid obijciant, bona Famæ aura hunc cygnum leuabit, & qui mox deprimuntur. à morte canentem etiam audient. Vetus versus est,

N n 3

Nora

*Non est beatus, esse qui se non putat.*  
 atque etiam verus, fateor: quia sapienti de suâ beatitudi-  
 ne constat; nec scientiam solùm, sed fiduciam eius habet.  
 Vides μεγαλείως καὶ γενναίως, magnificè & generosè me loqui?

Ἐὼ τὰ δίκαια καὶ μεγ' ἔχει φρονεῖν.

*In iure & aequo magnitudo animi decet.*

AVD. Vix tamen his temporibus, quibus sinistra erga emi-  
 nentes interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, quàm  
 ex malâ. Apud veteres fiducia potiùs morum, quàm arro-  
 gantia interpretabatur. adèd virtutes ijsdem temporibus opti-  
 mè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. Sed, mi Doctor, si  
 hæc te non mouent, Religionem ne contemne. Nam nec  
 illam immunem habent improbi sui dentis.

Tacitus  
Agricolâ.

Ibidem.

Religionem  
maluoli ele-  
uant,

*Prima mihi debes animi bona: Sanctus haberi.*

omnium vir-  
tutum arcem;

Ex quo sequitur, vt

— *supremo*

*Dilectus penitus Ioui,*

& virtutes etiam habeas. Nulla enim res magis animos &  
 mores componit, quàm Religio: & illa vbi in pectus de-  
 missa, virtutum agmen sequitur. Lips. Proh summe Deus!  
 nec tibi ergo parcût, & tuo cælo? In rebus enim diuinis &  
 Religione inueniunt iam quod exagitêt; & per quod nos,  
 imò te lædant. Tua enim illa vox decretumq; est, tua san-  
 ctio, *Abdita mentium caelesti menti referuanda*; nec pectoris  
 huius fibras pulsandas cuiquam aut referandas, nisi qui  
 eas fecit. At calumniatores aliter & passim iam (ô labem  
 nostri æui!) oculos linguamq; illuc conijciunt, & adyta  
 interioris huius templi scrutantur & calcant. Socratis præ-  
 ceptum vetus erat:

Horat. r.  
Car. Od.  
21.

atque id sub-  
dole, scilicet

malè senti-  
do de mente  
interiori,  
qua vni Deo  
perspicua &  
cognita: con-  
tra

Socratis præ-  
ceptum.

Ὅτι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκ'.

*Ædibus in propriis, quid rectum aliudque geratur.*

Non dicta,  
dicta volunt;  
& nec facta  
sciunt, imò

Hodie contrâ fit, & emissitios oculos omnes habêt. O non  
 interpretes meæ mentis, sed diuinos! qui non dicta mihi,  
 non scripta, fortasse nec cogitata, tamen sciunt. Tiberium  
 Imperatorem eâ oculorum acie fuisse ferunt, vt noctu pa-  
 riter atque interdiu cerneret: de his appositè dixerim, qui  
 etiam ea, quæ in tenebris & solitudine geruntur, explorât.

Tranquil-  
lus Cap.  
68. & Pli-  
nius.

Domum

Domum meam claudo? penetrant. Linguam contineo? pectus inspiciunt. Homines fugio: ipsi me inueniunt. & vt muscas, atque eiusmodi minuta animalia, nullâ curâ submoueo: non item vllâ cautione istos. Hæc Curionum illa gens, quam Poëta Comicus scitè depinxit:

aliena omnia scrutantur, vt insecta & minuta illa animalia;

Trinummo.

*Qui res alienas curant opere maximo:  
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt:  
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt:  
Idque quod in aurem Rex Regina dixerit  
Sciunt. quod Juno fabulata est cum Ioue,  
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt.*

quod Plautus etiã præuidit, aut cõquestus est de sui aui Curionibus.

O Massagetas aut Scythas! Cur non sic appellem? imò omnibus barbaris immaniores sunt, qui nos modeste, grauiter, piè, & sine cuiusquam iniuriâ viuentes aut scribentes inuadunt, & lacesunt. AVD.

O barbaros calumniatores!

*Nihil est profectò stultius, neque stolidius,  
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,  
Neque confidentiloquius, neque periurius,*

o mendaces & impios haereticos! qui

quàm isti. Atqui nunc etiam iniuriam putant in Religione dissentire. & illa causâ sinistra de te suspicionis. LI-PSIVS. Multa stolidi & vana in hoc æuo audiui:

dissentire de Religione pro crimine habent.

*Τὸ γ' ἐστὶν ὑπερβολὴ μανίας  
Istud verò est culmen omnis insania.*

Irane? & cò ventum? & Nerones iterùm sunt, qui vetant? Illi noui nouitij, & nuper nati (nec ipsi negent) regnum capiēt, & veteranos possessione iustissimâ pellent? Noua sua ferri volunt, & armis id pugnant: nobis nō licet vetera asferere, & æui suffragiis atque orbis approbata? O Libertas, quam præscribunt, & pro quâ armatur! Indignor hæc fieri, & mecum boni: sed mederi aliorum est, & à responsione nostrâ frustrâ id speres. Ille in bono & recto firmus.

Vah, nouitij illi hoc audent!

hac illa ingeminata libertas?

*— per obstantes cateruas.*

Indignatur Lipsius & proponit tamen non respondere,

*Explicuit sua victor arma.*

AVD. Sed quis melius mederi poterit quàm tu?

*Τὸ δὴ νῦν γε μέγιστον ὑπεράνιον κλέϊ ἐστὶ.*

quamuis tunc aptus, ob ineffabiles ingenij dotes.

*Cuius certè nunc maxima ad calum gloria:*  
cuius pectus madet omni genere elegantioris doctrinæ & sapien-

sapientia: cui diuinum ingenium, in admirationem æui,  
vix in exemplum (quis enim imitetur, vel aufit?) à Deo  
datum.

*Uno ore quem plurimæ consentiunt  
Gentes esse virum populi primarium:  
Unde populi & reges omnes consilium expetant,  
Suarum rerum incerti.*

Ennius.

Stili elegan-  
tiam, &summâ elo-  
quentiam.

qui in stilo latinitate, perspicuitate, elegantia, ordine vi-  
cisti omnes, qui fuerunt, qui erunt: & palmam habes, non  
magis quàm Herculi clauam (omnes omnia faciant) extor-  
quendam. Præter iam dictas, etiam duas illas in eloquen-  
tia virtutes habes, quòd copiosus sis in Breuitate, vehe-  
mens in Facilitate: & solus vt mihi videre affecutus,  
quod contra rerum naturam est, Breuitas vt obscura non  
sit; Quod vel maximè in laudibus tuis existimare potes.  
Ostende te igitur & descende in arenam: scio enim,

*Καί τοι δέσπυρά ἐστὶ, & ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι.*

Homerus.

*Et tibi sunt hastæ, sunt & tibi scuta rotunda:*

Et solus co-  
ercere & re-  
primere po-  
test.

coërce in mendacis vagabundos, redige in veros timores,

— accipiter velut

Horatius.

*Molles columbas, aut leporem citus*

*Venator in campis niualis*

*Æmonia.*

Instant ergo  
boni omnes,

orant,

L I P S. Ego faciam? apage, honestior sum, non violò edi-  
ctum Augusti. A V D. Peto & oro. & nonne tibi amico-  
rum preces iussa sunt? Inter amicos petitionum debet esse con-  
ditio, ait Symmachus, vt præstantibus prona videantur, quæ  
sunt magna petentibus. \* Non enim aut leui mercede emit, qui pre-  
catur; aut paruum pretium accipit, qui rogatur. L I P S. Malus es.  
A V D. Quid ita? L I P S. Quia verè captatorem agis, & blan-  
diris, sed vt in retia tua compellas.

Lib. 7. epi-  
stol. 26.  
\* Apuleius  
lib. 3. Flor.

— ἴερον δ' ἀλώπηξ (ait verbum) ἔχ' ἀλίσκεται

— Vulpecula haud capitur sepe.

Exorant.

Quamuis ir-  
ritari calū-  
niatores po-  
tius possint,  
quàm

A V D. Imò patiare te capi vel meâ hac cupidine, quam  
amare & laudare in adolescentiâ nostrâ soles. L I P S. Quid  
ergo me vis facere? ora iis claudere? non possum. Irritabi-  
mus. sicut ignem qui gladio fodit, scintillas in se plures &  
stri-

stricturas elicit: tale in istis; cæde & dissipata, acrius insurgunt. Est hoc ingenium contumaciæ, subijci posse, nō domari. Alexiaco Hercule opus est ad Hutaeros istos extinguendos: qui dejecti, ubi terram, cuius suboles sunt, tetigerunt, non robur pro victoriâ, sed pertinaciam resumunt pro factione. Sed isti mei quid efficiunt? vt liberè dicam

domari.

Horatius.

*Multa Dircaum leuat aura cygnum;*

atque illi tela non peruentura, ad eò non læsura spargunt.

Lipsius autem non laedi.

Tacitus.

AVD. Sed quomodo dimitteris à conceptâ suspitione. *LIPS. Vulgus primum ad suspiciones: nam probi & boni eas non allectant aut fouent.* AVD. Sed interim etiam

plebs sit quæ malè de eo suspicetur.

Plautus.

— omnes probos bonosque accurare addecet.

*Suspicionem & culpam vt ab se segregent.*

LIPS. Non potest vtrumque fieri. AVD. Quapropter? quod cauere nemo potuit.

LIPS. Rogas?

*Ne admittam culpam ego meo sum promus pectori,*

*Suspicio est in pectore alieno sita.*

Sed parum cauti aut probi sunt, vt rem dicam, qui adtendunt: & occultè cupiunt, aut esse tale aliquid (nouimus ingenia) aut simulant ambigere, vt in arenam me proliant, & voluptati eorum pugnem. An & tu quoque de fide meâ opinari cœptas sequiùs?

*Si satis affirmasse fuit, satis esto negasse:*

*Est illis potiùs, quàm mihi, certa fides?*

Et à verâ fide alieni.

Nam ego certò scio non nisi ab ijs morderi & calumniari me, qui cum Religione verecundiam exuerunt. Sed sicut ocymum qui ferunt, feliciùs id nasci ad cõuitia interiecta autumant; ita illi spargendis contumelijs fecundius mihi nomen parant. Et caprificum etiam aiunt, cum ipsa maturas ficus non gignat, infecta tamè quædam producere, quæ veras ficus maturent, scalpèdo, morsicando: sic autè fidei illi decoctores, probos bonosq; calumniado & mentiendo. AVD. Frequens ergo hæc mea postulatio nō poterit expugnare tuum propositum? LIPS. Flectere. nō vt fatear suscipi à me defensionè, sed vt negare & rogari desinam, fessus iam clamore & exostulatione continuâ. Et dicam semel ex professo, *Qualis olim fuerim, Qualis nūc in re RELI-*

ORDO sermonis &amp; finis, cum

SERMONIS  
PARTES  
QUATVOR.  
I. Qualis  
fuerit.

O O

GIONIS

GIONIS *sim;* & *Quam probem, aut Damnem.* Nec pigebit memoria prioris vite, ac testimonium presentis cui eloqui. Hic interim sermo honori Orthodoxæ fidei destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit aut excusatus. AVD.

ii. Qualis fit.  
iii. Quid probet.  
iv. Quid damnet.

*Quàm orationem hanc aures dulcem deuorant!*

Pœnulo.

*precatiunculâ ad Deum, &*

*excusatione quadam diffusionis, ac contemptu improborum.*

LIPS. Tu Deus, à Deo genite, Homo ex homine genite, hominibus genite, da in memoriam fugitiuam redire, da quod actum à me, memoriæ proderet; tibi in honorem, bonis in fructum, prauè sentientibus in resipiscentiam. Ordinem iam dixi, & quia digna hæc materies, pleraque non distinctè solùm, sed diffusè dicam: nec displicebit accuratio illa, cui Vna, Vera, & Catholica Religio placebit. De reliquis & exteris non laboro: non enim ego illis placere volui. nam quam ego laudò, non probant illi; quam illi probant, ego reijcio. Probent proinde, improbentve, quam ego doceo, nec manum vertero. AVD.

*Æquum est ab æquis te par impetrassere;  
Ab iniquis porrò, haud æquum est æqua postules.  
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malum.*

Lipius.

LIPS. *Æquum esse putas, non reputas laboris quid sit.*

Amphit.  
Asinariâ  
Pseudolo.

AVD. *Tu primus sentis, nos tamen prænoscimus,  
Et quasi per nebulam scimus atque audimus:*

*Fateor eos esse importunos atque incommodos.*

*Sed queso, quod sum percontatus, ne id te pigeat proloqui.*

LIPS. — *Jurato mibi*

i. Sermonis  
pars.  
QUALIS  
OLIM  
FVERIT.

*Igitur necesse est eloqui, quid quid roges?*

*Ita me obstinatè aggressus es. non audeo*

*Profectò, percontanti quin promam omnia,*

*Proinde actutum istud quid sit, quod scire expetis,*

*Eloquar; — nec dicam dolo:*

Ad Lectorem Epist.  
Quæst.

*Si quisquam est, qui probari se cupiat PROBIS,*

*ORATIONE, VITA, SCRIPTIS denique:*

*In his audacèter nomen profiteor meum.*

*A PVERO eductus, doctus, liberaliter*

*MORES MAIORVM simul & DOCTRINAM institi;*

*Nec ego istos mores noui seculi noui:*

*\*quo Religionum, vt sic dicam, thyrsò percussæ, bacchan-*

\* Elect. lib.  
2. cap. 18.

LIII

*A pvero igitur Catholicus fuit, &*

Cent. ad  
Germ. &  
Gal. epist.  
92.  
Cent. ad  
Germ. &  
Gal. epist.  
28. 19.

tur ac gallantur multorum mentes. <sup>b</sup> Nouitia igitur (nam & prosâ dicam, quod dixi versu) parum ad meum palatium, mores & Viros antiquos amabam: omniaque ad ritum priscum colebam: nec Pietatem aut Doctrinam aliam æstimabam, quam quæ erat talis. passurus etiam pro eâ, ubi opus, voces, calumnias, damna.

cum Maioribus sapuis, quamuis  
cum damno & calumniis, quia

Lucanus.

AVD. — fortissimus ille est,  
Qui promptus metuenda pati si cominus insent,  
Et differre potest.

Scribanius  
Amphith.

Incurrunt mala? fluent fortè lacrymæ: sed quas Virtus & bibit & siccet, ne honesti limites transiliant. Milites videmus prædæ cupidine aduersa tolerare; quidni & nos leue aliquod dictum aut damnum cõtemnimus, præ melioris vitæ spe & promissione? Vouimus Catholici nec prosperis nec aduersis de gradu dimoueri, in veritate & antiquitate firmi & erecti. Lips. Rectè putas. & ego si aliter sensissem, fefellissem Sacramentû, quo baptismate obstringebar. Sed quod magis, cùm Colonia Vbiorum à Patribus Societatis IESV instituebar, pietas pectus meum tãgebatur, & Patribus ipsis volebam accenseri. Parentes sciuerunt, abduxerunt, & annos iam sexdecim natum Louanium amandarunt.

Sacramento baptismatis obstrictus.  
Societatis Patribus accenseri cupit, nolunt Parentes ac retrahunt.

Cent. 3.  
Miscell.  
epist. 87.

Quast.  
Epist.

Postinde cùm iam flos ætatis surgeret,  
Et spatia extrema ingrederer adolescentiæ:  
Magis magisque impendiosè litteras  
Amare occæpi, assiduus legere, scribere.  
Cùm interea, vterque demoritur parens, loci;  
Ego hanc occasionem ad studium Musicum  
Esse ratus, concepi iter ad oras Italas,  
Germaniamque in terram, & terram Galliam  
Quasi ad mercatum litterarum pergere.  
Concepi perfeci que. Deo esto gratia,  
Letitiam peperit, pariet que, hic mihi labos.

Peregrinatur per diuersas terras; ut

litteras discat.

AVD. Quippini? pulchrum, imò & fructuosum est, mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, & diuersam aquarum cælique temperiem cognoscere cum Vlysse,

& prudentiam, id est

Homerus.

— δε μάλα πολλά Πλάγῃ, —  
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Vlyssis exemplo.



— qui per sola multa

*Iactatus,* —

*Multorumque hominum mores atque oppida nouit.*

*Louanium  
revertitur,  
& studijs in-  
uigilare per-  
git; post*

LIPS. Et cum iam iterum in patriam reuersus, aliquamdiu  
Louanij egeram modestè, & studijs vacans,

— nocturnoque ex somnis oliuo

Cassius  
Parmensis.

*Immoriens;*

acriores belli procellæ & venti exsurgunt, quibus nihil  
propius factum, quam ut mergeretur Belgicæ nauis.

— Nam terras cruor

*Infecit omnes fusus, & rubuit mare,*

*Et scelera dempto fine per cunctas domos*

*lære. nullum caruit exemplo nefas.*

Seneca  
Hippolyto.

*belli tumultu  
in Batauiam  
eici-  
sur, &*

Fluctu tunc aliquo grandiore cum pluribus eijcior, & cir-  
cumagor Numidæ in morem. aliquamdiu discuro sine  
lare, sine sedibus, quas tamen posui in Batauis: sed tempo-  
raneas, non perpetuas, & ut stationem ibi haberem, non  
portum; saltem dum consulescerent turbæ, atque iræ leni-  
rent. Et commodè etiam egimus, nisi quòd inter eos, qui-  
bus rerum bonarum non magnus sensus. Fui tamen

Cæt. r. Mi-  
scell. epist.  
67.

*aliquamdiu  
commodè egit.*

*Amico amicus, beniuolenti beniuolus,*

*Ingenue frontis, oris & cordis probi.*

*Malos ibidè  
auerfabat-  
sur,*

Sed erant ibi rara ingenia, quæ pacem, quæ quietem ama-  
rent; hoc est, ingenij mei perpauca: & ijs, quos iuuabat

— clamor, galeæque leues,

*Acer & Mauri peditis cruentum*

*Vultus in hostem;*

— & lituo tubæ

*Permistus sonitus, bellaque matribus*

*Detestata.*

Horat.

& fugiebat, quibus compositis rebus nulla spes, & omne in turbido  
consilium, numquam hoc latus adiunxi; nec cum ijs ami-  
citiæ fœdus colui. De me testabar publicè, Pacis mihi in-  
genium esse, & cum Hesiodo,

*Μηδὲ κακῶν ἔταρον, μηδ' ἐσθλῶν νεμεσῆρα*

Hesiodus.

*Nec prauis socium, obtrectatorémve bonorum.*

*sed non sine  
periculo, cum*

A V D. O bellè! ô pulchrè! sed & feliciter; nam inter  
illos

illos viuere, & in publicâ aliquâ famâ vigêre,

*Periculosa plenum opus alex.*

Et si quis conatur, aut blandientibus auscultat,

— *incedit per ignes*

*Suppositos cineri doloso.*

Quotusquisque non seductus & corruptus consuetudine  
facile allubescenti illius gentis,

*Βεβαρβαροβείς τε πατριῶν ἐν βαρβαροίς;*

*Factusque barbarus habitans cum barbaris?*

Id ego fabulosâ illâ mutatione Cadmi significari existimem, qui relictis Thebis in Illyriam abiit, mox transformandus in Draconem: non quidem reipsâ, sed moribus & vita. pro Græcis enim & mansuetis barbaros & feros assumpsit, & vitam instituit ex cōsuetudine populi feram & à priore degenerem. Sicut terrâ interiectâ lunâ lumen à sole amittit; sic animus obnubilatur interuentu alicuius dignitatis aut honoris, apud degeneres illos Christianos, & tandem irretitur. Sed tu aliter, & vt aranearum casset animalia fortiora perrumpunt, sic istos ab insidiantibus laqueis constanti & robustâ mente contriuisi.

*facile cum  
Cretis Cretis-  
xamis, &*

*à pice inqui-  
namur, quâ-  
uis*

*Lipsius aliter  
& prudenter  
euaserit;*

Euripides.

— *ἐν ἀπειθήσας θεῶν.*

— *non inobediens Deo.*

Et vt Iuno illa Homerica, in concilium Deorum veniens, à nemine poculum nisi à Themide accepit; sic tu ab antiquis monita. LIPS. Quidam tam improbi, nec excuso, fefellere me: nec latentia illa vitia adolescens profusus intueri potui, iudicij acie adhuc infirmâ. AVD. Phocylidæum illud apud Clementem Alexandrinum legi:

Ad Lect.  
Criticorū.

5. Stromat.

*Πολλὰ ἀλανήθηναι διζήμερον ἔμμεναι ἐσθλόν.*

*Qui cupit esse bonus, fallatur sæpè necesse est.*

LIPS. Sed ignotis saltem adhæsi: notos fugi, nec placuit quisquam, cui non Pietas & vera Virtus. AVD.

*pjs & probis  
se adiunxit;*

— *Virtus rebus omnibus*

*Anteit profectō. non peribit, cūm perit,*

*Quem penes est virtus. Virtus st immortalitas.*

LIPS. Cautè interdum egi, & vitam humanâ & communi viâ institui. Scenæ feruendum putabam, quamdiu ego

*apud alios  
communem  
viam inter-  
dum instruit,*

in isthoc theatro. Vidésne vt nautæ vela sinuent & obli-  
quent, & teneant nihilominùs suum portum? Imitabar.  
nec fregi maiores & decumanos fluctus, sed vitæ aut de-  
clinavi; & in externis personam interdum sumpsi aut po-  
sui, pro re aut pro æuo. In dictis aut factis, in communi  
Europæ motu, interdum titubavi. Et reuera in alienâ reli-  
gione, in æstu adolescentiæ, inter blandientes aut terren-  
tes, facilè fuit in speciem culpæ venire, si non in culpam.  
Ad prudentiorem aliquem appello. AvD. Res clara est.  
nam illis placere non poteris, nisi similem te aliquo mo-  
do facias, aut dissimules. Et eras ibi apud

- *Suspiciosos, fraudulentos, duplices;*
  - *Qui fronte hilaro, corde tristi obambulant;*
  - *Qui gaudent, si quid alteri euénit mali;*
  - *Qui mærent, si quid alteri euénit boni.*
- Quos placitum est, laudant; quos placitum est, vituperant:  
Veróne an falsò, cicum non interduint.*

*opiniones non  
admisit.*

LIPS. Opinionum tamen aura pestilens, quæ oram illam  
infecit, me non afflauit: & inter egros multos & causarios,  
fanus ambulavi, in hac quidè parte. Alpheus mare Sicu-  
lum subterlabi dicitur, sine mixtione vndarum, ad suam  
Arethusam; ego per improbos & impios ad veram pieta-  
tem. & vt Athletæ in stadio oculos ad metam & brauium  
intendunt; sic mea mens semper ad Cælum & æternam  
illam palmã intenta erat. Pietas mihi interna & vera erat

*Virtutes co-  
lebat cum  
pietate, sed  
priuatim;*

proposita, Modestia & Virtus. Eram enim ex ijs, quibus  
illa in corde magis, quàm in ore: quiq; factis exerceri eam  
acriter malebam, quàm verbis. Fama tantum longa bonis  
studiis artibusque parari potest: vita æterna, bonâ hîc vitâ.  
AvD. Rectè. *quod sumus professione* (verba D. Ambrosij sunt)  
*actione potius quàm nomine demonstramus: vt nomen congruat  
actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane & crimen  
immane.* Vt poma, in Iudæâ, nō poma nascuntur, quæ con-  
tacta in fumum abeunt & vaporem: talis verbosa illa pie-  
tas, sine vitali operum succo. Sede finibusque in Batauo  
littore, mente animoq; nobiscum egisti, cetera similis bo-  
nis. Vt radij Solis in sordes & caligantia loca coniecti, illu-  
strant,

Cæt. 5. Mi-  
scell. epist.  
2x.

Cent. ad  
Italos &  
Hisp. ep. 18.

Præscript.  
pro Const.

D. Ambro-  
sius.

strant, non inquinantur: sic tu inter feros squallentesque animos resplendisti verâ virtutis tuæ luce. Sed de Pietate: nec istâ semper proferebat in scriptis, ne offenderet, illam animo gerebas inclusam, nec proferebas aut præferbas clarè in scriptis? LIPS. Si veram causam vis, factum à me parcius in isto ancipite statu rerum & varietate iudiciorum, metu offensionum. Ecce non sententia sed verbum aliquod à calente calamo anceps fugerat, calumniarum subitus & magnus ignis. Quæ causâ in meis scriptis abstinuit me, fateor, ab altiori initu in sacrarum illud rerum mare: quò materies alioqui & ingenij ventus vocabant: sed repressit hic metus & adnavigare iussit littus. AVD. Talis locus erat, in quo oportebat,

Cent. 1.  
Miscell.  
epist. 97.

Phocylid.

*Καιρὸς λαξεύειν, μὴτ' ἀντιπνεῖεν ἀνέμοισι.*

*Temporibus seruire, nec aduersarier austris.*

Tacitus.

Nonne etiam Sapientiæ pars est, leuiter desipere, & paulùm extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum? Germani olim in prælio cedere loco, dummodo rursus in stes, consilij quàm formidinis arbitrabantur. quidni tibi idem licuerit in vndoso istoc & opinionum turbiditate mari? Cur vela fecisses aduersis ventis? Vt fluuij quidam, qui erepti oculis & sub terram reconditi, feruntur nihilominus ad suum mare: ita latent inter impios sæpè pij, & tacitè ad scopum destinatum perueniunt. Silentio tuti sumus, quando ratione non licet. LIPS. Cum tempore pugnare volebam, etsi haud seruiliter seruire. Apud me & interiorum animum liber eram, recti iudicij & sensus: & re magis quàm ora bonus. in sermone interdum temperabam, nec offendebam qui poterant offendere. Sapientia vera, firma est, non tamen elata: non timet pericula, sed nec prouocat aut laceffit. Ascanij illius apud Poëtam iuuenilis nimis ardor est, qui

Virgilius.

*Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.*

Non ita ego. qui abundè fortis eram, si excipiebam non etiam incurrebam in discrimen. AVD. Rarò allisa nauis est, quæ modico velo legit littus.

*Interfusa nitentes*

*Vitans æquora Cycladas.*

Eminentia feriunt procellæ. LIPS. Talis mihi mens, quæ nauim

*æc improvi-  
sè non profu-  
tura profere-  
bat.*

navim semper auertebam ab illis salebris, velificationem omnem dirigens ad vnum tranquillæ mentis portû. Quo enim, aut cui bono aliter fecissem? Semper hoc videndum cui bono, ne sine emolumento Reipublicæ & suo; imò ne omnino res eat turbatum, intempestivâ licentiâ, aut ardore in fumum abituro. Displicent in Repub. non pauca, in Religione fors omnia? videat an malo remedium reperiat. Non inuenit? sed nec perimat ægrum corpus, & quod in valetudine suâ extrema minatur. Prudentis medici est, in desperatâ valetudine, non adhibere desperata medicamina; quia plerumque tardè gradienti ægro, præcipitio consulunt: ergo naturæ illum relinquit, & suggerit quædam in robur & leuamentum, si fors victrix natura mali, pulsâ, quâ opprimebatur, malignitate, reualescat: aut vt ægrû suum paullatim robustiori medicabulo paret, dum crescunt vires generosiori medicamini respondentes. Igitur tacebam, nec monita spargebam non audienda. AVD. Probare te aut tua ijs volebas, qui non probabant? frustra. & hoc fuisset quasi cibum aliquem conciliare istis, qui abhorrent. Ille mihi prudens est, qui non in vanum spargit monita; qui quæ scit non profutura, domi suæ tenet, laxaturus habenas, & toto ostio emissurus, vbi melior spes affulserit. LIPS. Feci hoc apud Battavos, in quo quid peccaverim, nescio: nisi peccatum sit diu siluisse. AVD.

*Sed nimis ti-  
midè fortas-  
sè;*

*Tacere optimum est: plus scire satius est,  
Quàm loqui.*

Epidico.

LIPS.

*Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως*

*Pauca quidem, verùm argutè.*

Meliùs olim Pacuuius:

Pacuuius.

*Ego odi homines ignauâ operâ, philosophâ sententiâ.*

*debuisset pla-  
nius & ple-  
nius,*

Attamen silentium illud meum non testatione vnâ, vbi tempus fuit, postea leniui, sed sponsâ deleui: imò pro timore meo vano meliora maioraque illi genti reposui. In scriptis enim meis iacienda fuissent salutaria etiâ monita & pietatis semina, etsi non statim profutura. idque vel ab agricolæ exemplo. Ille, si hoc alteroq; anno spes destituit,

*agricola ex-  
emplo,*

tuit, tamen arat, occat, ferit: & Bonus Euentus feriùs, sed  
vberius, sæpè respondet. Et vt senex ille in Synephebis,

*Serit arbores quæ alteri profint saculo;*

Epist. 29.

fic ego monita admiscere potuissem, quorum fructus ad  
multos redundassent. Senecam audio: *Quare verbis, in-*  
*quit, parcam? gratuita sunt. Non possum scire, an et profuturus*  
*sim, quem admoneo: illud scio, alicui me profuturum, si multos ad-*  
*monuero. Spargenda est manus. non potest fieri, vt non aliquando*  
*succedant multa tentanti.* Et pulchra etiam illa ratio. quòd  
ficut gemmæ, etsi in lutum aut fordes abiectæ, splendo- *ex dicto Se-*  
rem non amittunt, sed dies postea reuelat & attollit: sic *neca,*  
in istis quæ benè, honestè, piè dicuntur. AVD. Plura *et alio simi-*  
etiam volebas? Audi Euripidem: *li.*

Euripides.

— ε γδ εδ' ἀλήμων

Ἰνώμω μὲν εἶ Τίς σοφοῖς λίαν σφόν·

— non vel hoc noxâ vacat,

*Si mens inest sapientibus sapiens nimis.*

vide cùm pauca & timidè quædam de religione dixisses,  
quàm vndique incurrebant, pænè dixerim

Ἀρχοτέροισι σύεωσι ἐπιότες· —

*Agrestibus suis similes.*

quid futurum fuisset, si magis te diffudisses? Robur & æs  
triplex circa pectus induendum fuisset, vt ibi erant homi-  
nes, tempora, mores. Nihil enim tam probè dici potest,  
quod non vellicare malignitas velit. Et tu in cã Republi-  
cã prudenter de religione quædam differuisses, quæ va-  
riam in primis & miscellam induxit, stabiliendo sceptro?  
tu tuam intersperuisses, qui vnã, & vnã tantum, in  
vnâ Rep. semper probasti? qui risisti Aegyptios reges &  
Iulianum Imperatorem? LIPS. Sed ego scio, non esse hu- *Sed nemo non*  
mani ingenij, optima quæque primis cogitationibus deli- *errat.*  
gere: & ferè secunda in viro consilia maturiora esse. Vetus  
illud verum est,

Euripid.

• Αἰδ' ἀτρεπαι φροντίδες σοφώτεροι·

*Posteriores cogitationes sapientiores.*

Reiectiunc.  
& Cent.  
ad Germ.  
& Gall. ep.  
68.

In Religione tamen, vt dixi, nihil mutauit: in fede illorum  
non in sensu fui: & vt in peregrinatione, corporis non ani-

*In Religione  
saltem con-  
stans fuit  
& vnus,*

Pp

mi

mi requiem illuc elegi. In tempore, vt meum ingenium est, quietè modesteque me habui: non in sacra aut ritus eorū transiui. Vis aliqua compulit? aberat animus: & cū illi aliquando multa de Repub. de Religione, risi. Cleomenes Spartæ rex, Græculo cuidam multa de fortitudine differenti, aures non præbuit, & auertit. Illo mirante, Quia enim, inquit, si hirundo hæc diceret, idem quod nunc facerem, atque affatim riderem: sin autem aquila, darem ei libenter mentem & aures. Simile mihi in illis erat. quos serio & cum affectu de vtraque differentes risi, qui sciebam quomodo in vtramque erant affecti. Sicut Vlysses ille blandientes, sed insidiantes scopulos, surdâ aure præteruexit, oculos tantum habuit apertos; sic multa obiter videbam tantum, non in aures, minus in animum admittebam. Semper enim mihi (ô tu qui vides & scrutaris has fibras!) semper stetit infixâ menti Religio vera, & à maioribus tradita; quam nunc palàm loquimur & profiteamur: semper ille noster sensus, antiquare & cum maioribus sapere; *vetera nouis, & quietâ turbidis antehabere*: nec hunc calumnia aut vis vlla, non dicam exiit, sed nec exussit: ab illo

*Nec suada*

*Maiores  
scita & mente  
dimouere po-  
tuit,*

Tacit. r.  
Ann.

*aut vis vlla;*

*Me nec Chimera spiritus ignea*

*Diuulsit vnumquam:*

nec alia fraus aut argutiola. Non credunt? esto. hilum non ego deterior, sed nec tristior: qui sto apud Iudicem, cui ne in mentitur. Vt radij solis per terram sparsi, à cælo & in cælo tamen sunt: sic noster animus Romano cælo semper adhæsit, etsi Batauo cæno illuxit. Pietas, inquam, mihi salua erat: & ex animo testor aut respondeo, non aliam me viam salutis nouisse, quàm hanc, quæ per vnum illum & directum limitem duceret. Et quisquis eam caret, aut negligit, quid veri, non dicam Christiani hominis, sed hominis habet? Ad eam nati omnes, nos quoque peculiari Dei gratiâ instituti sumus: teneamus & amplectamur, vnicam quietis hinc anchoram, vnicum ad perpetuam salutem viaticum & viam. Pietas enim caput virtutum, imò omnis virtus est.

*Pietas non  
imminui,*

*per quam ca-  
lestis regnum  
subimus*

*vt certam &  
unicam viam.*

AVD.

Arbiter.

AVD.

— — — — — *ô maxima rerum**Et meritò Pietas homini tutissima virtus!*

Cuius studium

*Æquè pauperibus prodest, locupletibus equè:**Æquè neglectum pueris senibusque nocebit.*Trismegi-  
stus.

Pulchrè ille Ter-maximus apud Lactantium, Inst. lib. 2.

cap. 16. *Μία φυλακή εὐσεβεία. εὐσεβεία γὰρ ἀνθρώπων ἔτε δαίμων κα-**κός, ἔτε εἰμαρμένη κατ'εἰ. Θεὸς γὰρ ῥύετ' τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακῆ·**Una custodia Pietas. Pium enim virum non malus Genius, non**Fatum ipsum devincit. Deus enim eum liberat eripitque ex omni**malò.* LIPS. Verè dictum, ipse expertus sum: & eripuit me

Deus ex malis illis &amp; parum pijs hominibus, &amp; libertati

reddidit; patriæ &amp; amicis reddidit. O æterna sapientia, ô

lux sine ortu aut occasu, *letus, lubens, laudes ago, grates gra-**tiasque habeo;* quòd duce te euasi ex illis falebris, & loca de-

ueni, per quæ facilior mihi &amp; tutior ad te cursus. Nam ni-

si tu dux auctorque nostri consilij fuisses, nisi mirabiliter

&amp; præter spem robur dedisses, quomodo per tot discrimi-

na &amp; molestias, è quibus illa depulisti &amp; has mitigasti, tot

viarum ambages, in adflictâ meâ tunc valetudine, venis-

sem ad propositam metam? Sed tibi gratia esto, iam illuc

sumus, vt non vltrâ reuifamus ambiguos &amp; bonis parum

gratos locos, quæ ipsa causa deferendi. Vt enim aliarum

animantium quæque aggregant se ad suum genus; sic in-

ter homines meritò decet, quibus est similitudo &amp; paritas

puræ priscae mentis. AVD. Sed &amp; Ienæ fuisse te, aiunt, &amp;

ibi docuisse. LIPS. Quid mirum? publicè dudum sum

professus. AVD. Et Orationes habuisse. LIPS. Vel vicenas,

non nego. AVD. Tales illas improbas &amp; impias? LIPS.

Hoc nego, hoc pernego: &amp; palàm editâ Epistolâ ostendi

falsimonias istas meras esse. AVD. Tamen iterùm aiunt.

LIPS. Et sapiùs mentiuntur. Si satis ad veritatē est, dixisse;

satis sit ad calumniam interimendâ, negasse. Nam hîc fi-

nis non sit, & oriantur *Tusca iurgia*, quòd vetus verbum di-

xit. Nemo innocens erit, si dixisse sufficiat. Quis non ali-

quid meum aut alienū adumbrare potest, &amp; protrudere?

hoc si valet, latissimus hic ad calumniam limes; &amp; in quo

Pp 2

libe-

*Et ob hanc  
Deus Lipsiū  
ab impijs li-  
beravit &  
suis reddidit,**idq; mirabi-  
liter.**Obiter de  
falsis illis &  
suppositicijs  
Orationi-  
bus.*



liberis quadrigis illa inuehatür & exultet. Sed parentem ipsum & nugatorem probæ huius prolis, nõnne *Carolus Scribanius Societatis IESV* Theologus eximius ac multâ eruditione clarus, qui & partes meas probè tuendas suscepit: nõnne, inquam, ille quem amo *ἔνα τῶ ἀθηναίων φίλων*, *unum ex veris amicis*, ipsum Amphitruonem prodidit huius Alcmenæ virum? huius Palæstræ Plautinâ Rudente Dæmonem; & ipsius adeo impostoris confessione, huius filix patrem? *AVD.* Sed quis igitur ille, à quo, si Deo placeat, aureus ille partus? *LIPS.* *Melchior Haiminsfeldius Goldastus.* Hic ille Pseudolus calumniarum instructor scenæ. His ille Pandorus; qui malevolentix mantello tectus, sagittas sparsit, vulnus intentavit, non tetigit. *AVD.* Scilicet nemo nostrum inter oletum istud dijudicet & Lipsianam myrrham? Vah, tam frigidum, solutum, ineptum, & verbo dicam, impium! Et ille tenebrius tam stultus vt speraret se posse imponere nobis falsam tuam personam? Bardi Typographi, qui tam ambitiosè hæc diuulgant. Sed credo in nostrum risum & suum quæstum. *LIPS.* O improbæ nimis & impiæ spei Orationes! Hæ scilicet illæ sunt quibus alienum me ab Orthodoxâ fide fuisse contendunt; quibus me simulatæ vitæ insimulant; sed Deo gratia esto, fulcrum hoc collapsum est, & structorem prostravit, me innocentem reddidit. *AVD.* Apud Batauos igitur & alios, semper mansisti in viâ rectâ quam ab adolescentiâ institueras. *LIPS.* Semper. sed vacillavi, imò cecidi interdum. attamen surrexi, & citâ celeritate correxi, quod temporis creptum lapsu. Viden' vt miles quoq; si cecidit, surgat alacrior, & animos irasc; sumat à casu? Idem mihi factum, & quod in freto illo adolescentiæ, in illo inquam æstu ac feruore ingenij fortasse inconsideratius à me dictum aut factum, constanter emendavi. *AVD.* Præstat antè viam sistere, & temerè aut calidè aliquid dixisse, quàm profecisse. Deferuescunt enim animi paullatim, & affectum veritas ac ratio vincunt. Sicut autem musto tempus damus, vt despumet, sic animo vt iuuentutis & opinionum faeces eijciat.

*Ἦν καὶ νεότης ἄπιστος ἔειπεν ἄδελφός*

*Vanam*

*quorum auctorem Carolus Scribanius à tenebris produxit, &*

*Melchiorem Haiminsfeldium Goldastum esse docuit,*

*Lipsum innocentem reddidit.*

*Ita igitur apud Batauos vixit, & interdum vacillauit,*

*sed constanter correxit.*

*Et quis ab errore tutus?*

*Vanam homini mentem reddit cum pube iuuentus :*

ait poëta ille sapiens. Nec culpate quisquam idcirco potest, aut probare à verâ fide abiisse. Vinum, vinum esse non definit, si aquâ leuiter temperatum; nec vera Religio, religio, si guttæ in eâ externæ labis. Et quis ille qui se labi & errare posse neget? Versus ille Phœbææ veritatis est;

Ἀμαρτάνει δὲ καὶ σοφῆς σοφώτερος.

*Erratque sapientissimus sapientium.*

Seneca.

Audi Romani nominis & Sapientiæ magnum Solem; audi tuum Doctorem: *Pro quocumque, inquit, illud respondeamus nobis, sapientissimos quoque viros multa delinquere: neminem esse tam circumspectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsi excidat: neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum casus impingat: neminem tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.* Nonne ita est? Solum ego Deum omniscium & expertem erroris habeo: *Solus Deus.* hominum quidquid est, opinantur, vacillant, errant. *Homo errat.* Numquam à Veritatis areâ aberrasse, neque humanum est, neque cadit in hanc vitam: imò

Iuuenalis.

— *quid tam dextro pede concipis, ut te*

*Conatus non pœniteat, voti que peracti?*

An nescis Ἰδίου τὴ σοφῆς μετανοεῖν; *Sapienti proprium pœnitere? Homo pœnitet, nec probri est.*

Tertullianus.

Cæt. 5. Miscell. ep. 79.

II. SERMONIS PARS, QUALIS NVNC SIT.

LIPS. Scio, & ego si quid peccatum est, pœnitere malui quàm defendere. *Non suffundor errore* (ait Tertullianus) *quocaruisse delector.* Et pœnitentiæ portus ex facili hanc cymbam admisit, quæ Reges, Principes, Ecclesiæ ipsos apices non exclusit. Et ego cum gaudio meliorem me recognoui. En meam vitam à tot annis. vbi vacillat aut fluctuat? Neque nescio quorundam hodie prauam sapientiam, frigus præferre, medios agere: ut de ijs Homericum illud iure efferas:

*Sed sunt fluctuatores hodie & ambigui in Religione;*

Τυδίδου δὲ καὶ ἀν' ἑωῖος ποτέεσι μετεῖν

*Tydidem haud nosset, vtris in partibus esset.*

Sallustius.

ut Syrtium Leptitanarum facies simul cum ventis mutatur; ita multi vulpiones hodie, toties aliter sentiunt, quoties in diuersa opinantes incidunt: aut semper in suspenso, incli-

naturi ad partes valentiores,

— Ioue non probante.

Scitè nuper à Politiano dictum, *meliorem honestioremque leonis faciem esse quam simiae, et si ista ad hominem propius accedit.* Politianus.

AVD. Graphicè hos in vno omnes Claudianus depinxit:

*Librauit geminas euentu iudice vires  
Ad rerum momenta cliens, seseque daturus  
Victori.*

Claudianus.

non ex ijs Lipsius;

LIPS. Mihi displicet, imò malus & impius ille

— qui semper & omni

*Nocte dieque potest alienum sumere vultum.*

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κείνῳ ὅμως αἰδῶ πύλῃσιν,  
Ὅς ἔπειν ῥῆθι κούθει ἐν φρεσίν, ἄλλο δὲ βάλει

Iuuenalis.

Homerus.

odit potius & cõtemnit,

*Haud minùs ille mihi exosus quàm ianua Ditis,  
Mens aliud cui tecta tegit, quàm lingua loquatur.*

Milesiarum Scriptores magistros probò, qui aiunt, *hominem liberum & magnificum debere, si queat, in primori fronte animum gestare.* Apulcius.

— τιῶντες δ' ἀρετῆς

Ἐς φανεράν ὁδὸν ἔρχονται

— qui virtutes colunt,

*Apertà incedunt vià.*

& apertà vià incedit, omnibus conspicuus;

Nónne hoc clarò fortiq; exemplo docuimus, auulsi à locis in quibus isti erant; & simul auiditate imperandi, ipsa *virtutibus interpretabantur?* Tacitus.

atque alios bono exemplo prait. quod vniùs docentur.

Ad bonos venimus, et si iacètes & exhaustos: quia finis mihi nō ditiori sed meliori esse. Tranquillo animo hīc viuo, Deo & studijs me confectans. AVD. Gratia tibi, Magne Deus; tuum hoc munus. Satis ac niniùm etiam diu inter contumacia Batauiæ vada adhæserat tua ratis, Lipsi: impegeratque interdum ad rupem illam periclitaturæ salutis. non quòd quidquam illius altiùs infederit menti (nam bonus, καὶ φρένας ἔμπεδον, *mēte immotus*, cum Homero, semper vixisti;) affricuerat tamen aliquid noxij sui succi: vnde illa nata liberioris opinionationis, scriptionis. Sed quanto cum fructu aliorum tam constanter reuerfus es? Sententiæ & decreta vtilia ac salutaria, vt valida & efficacia sint, vsum & exēpla requirunt:

tu

tu quæ monuisti sapiùs & docuisti, ipse exemplo appro-  
basti. Sicut herbas qui seuit, opportunè eas irrigat atque  
alit vt adolescant: sic tu sententiarum tuarum velut fruti-  
ces foues & attollis, vel sole vel pluuiâ, vt sic dicam, con-  
stantis illius exempli. Vtrumuis enim præstitisti. illustra-  
bas, dum in rem velut præsentem ducebas, & factû osten-  
debas, quod faciendum suadetur; foues etiam dum ani-  
mum erexisti, & re doces non noua non ardua proponi.  
Sed & viam præiuxisti, in quâ vestigia tutò & alij ponant.  
Sicut qui gubernandi parum peritus est, vbi plures naues,  
cursum temperat & sequitur priores. ita vada & scopulos  
vitat, & sine magnâ suâ arte portum cum prioribus petit,  
& tenet. Vidi qui ad speculum se comunt, faciem & cul-  
tum rectè disponere; prorsus hîc idem: tua vita & facta  
speculum sunt, & imago, in quâ alij se videant, & ad eam  
decorè componant. *Spectate iuuenes, imitamini; in ea tempora  
nati estis, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis.*  
Habemus fortasse vetera, sed recentia tangunt propiùs;  
nec vlla magis, quàm quæ domi nostræ nata,

xv. Anna-  
lium.

Manilius.

*Exemplo monstrantque viam.*

L I P S.

Publ. Sy-  
rus.

*Discipulus est prioris posterior dies;*  
ait ille. Sed & diu antea votum habueram inter bonos vi-  
uere, tunc etiam Deo auxiliante successum. A V D.

Horatius.

— te tabulâ sacer  
*Votiuâ paries indicat vuida  
Suspendisse potenti  
Vestimenta maris Deo.*

Sed maleuolorum quàm hîc sint, vt cum Moscho dicam, iterum Ca-  
lumniatores, *ὄμματ' ἀειμένα καὶ φλογοβέτα, oculi acres & flammantes, nosti?* qui

Moschus.

& qualem tibi inurant calumniam? L I P S. Hoc auo ca-  
lumnia & inuidia passim succreuerunt vberimè, & homi-  
num malè feriatorum, carptorum, zoilorum, plus est ferè

Ery. Putca-  
nus.

*Quàm olim muscarum est, cum caletur maximè.  
O dirum exitium mortalibus! ô nihil vniquam  
Crescere, nec magnas patiens exsurgere laudes  
Inuidia!*

Silius.

Quid

Quid tamen est quod emissitij illis oculis vident? aut quid inurunt? AVD.

*Liore nemo iudice fit nocens,*

Scribanius.

*Quem priua Virtus non peragat reum;*

*Sed gloria parcens iacenti,*

*Inuidia est inimica summis.*

LIPS. Rectè ergo Liuius, *Inuidia velut ignis, alta petit.* AVD. Liuius.  
Numquam aliter;

*Equare palmam scilicet impotens*

*Clarescit vmbra,*

—— ἀλαζών ἀδίκῃ βιβλία ψύχων

Timon  
Phlasius.

—— insolens iniquos libros effutiens.

*Teque honor, & laudes, & lato gloria cultu,*

Silius.

*Et decus, & niueis victoria concolor alis,*

*Te cinctus lauro perducit ad astra triumphus.*

dicunt Lipsium spe purpura deseruisse Ba-  
tauos,

Et aiunt patriam te antehabuisse, non sine Religionis sed ambitionis, & vt ad potentiam ac purpuram viam tibi munires, haberesque desertæ causæ præmium. LIPS.

Plautus,

*An vumquam cuiquam contumeliosius*

*Audisti factam iniuriam, quàm hæc est mihi?*

AVD. Ride si sapias, mi Doctor, ride;

—— ἐμὸν δὲ ἐγέλασε φίλον κῆρ

Homerus.

—— meum verò risit charum cor.

quod ne in somnio quidem cogitaret.

Modestia illi semper placuit,

LIPS. O quàm rem tetigerunt! ô acre & ardens meum illud votum! Non sic Empedocles amore immortalitatis in Aetnâ, vt ego in hoc igne. Quis autem audiet ista sine risu? quis sine iracundiâ, qui me vel extremis lineis norit? Modestia, modestia est, quam appeto, quam præfero: & quæ sæpè iam efferendum retinuit & repressit. multa

—— scripsi, scripta diuulgata sunt:

Aulica vita displicuit, in continuo periculo

alienâ vi subnixâ.

illa \* legant, & sciant in his nos non fallere. O boni, lubrica vestra vita & via est, qui in Aulâ versamini: in quâ, vt verè vir sanctus dixit; *Per pericula peruenitur ad grandius periculum.* Itaque acri circumspectione & custodiâ vobis opus contra lapsus. *Nihil rerum mortalium,* ait prudentissimus Annalium scriptor, *tam instabile & fluxum est, quàm potentia non suâ vi nixa.* Parua omnino interualla temporis, ait appo-

\* præcipuè epistol. 61. Ceter. 5. Miscel. Augustinus.

Tacitus.

- Polybius. appositè Polybius, omnes homines attollunt, rursumque deijciunt; maximè verò eos, qui in Aulis versantur. Reuerà enim isti assimiles sunt abacorum calculis: qui, vt secundùm voluntatem calculatoris, modò obulum æreum, modò talentum valent; ita Aulici, ad nutum Principis, modò beati, modò miseri fiunt. Et quæ sæcula id non docent? vetera, media, nostra. Inter veteres *Joab*, ille vir acer, callidus, militiæ *Davidis* & consiliorum arcanorum arbiter, cùm à viuo rege non auertitur, missus est cedi à successore. Quid *Apelles* inter Græcos? Ille à Philippo rege proximus, eo iam gradu & opibus, vt ab ipso timeretur, momento horæ deijcitur, desertus ab ijs, qui antea stipabant & colebant. At hoc in *Apelle* exemplum: quàm geminum Romæ in *Seiano*? qui diu *Tiberij* Augusti potens, & ad instar eius status, honoribus, cultus; tandem vnâ epistolâ subuersus est, & caput illud toto orbe secundum, vt cum Poëta dicam, laqueo præbuit, & cadauer suū opprobrijs, lacerationi, vnco. Quo die illum Senatus deduxerat, *populus in frusta diuisit: in quem, quidquid congeri poterat, dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit quod carnifex traheret.*
- Et similis potentia atque exitus *Plautiani* sub Antonio, quæ in *Dione Cassio* lege. Iam in æuo posteriore, *Alfonfus Albuquerque* pleraque Indiæ Orientalis Lusitano Regi suo subiecit: at idem accusatus maioris spei, & suspectus denique, reuocatus in patriam est, & morte opportunâ fortasse ignominij ereptus. Simile in *Duarte Pacieco*, qui post magna merita, in custodiam & vincula coniectus etiam fuit, & in clarâ innocentia liberatus tandem, sed vt in paupertate senesceret. *Consaluum Magnum*, & *Ferdinandum Cortesum*, nec ipsos parem gratiam meritis retulisse, aliquis arbitretur & dicat. Apud Hispanos quàm nobile documentum fluxæ potentia *Aluarius Luna* est? Amabat & euehat eum Ioannes Rex Castellæ, super omnes homines & amicos. Opibus, titulis, præfecturis, cottidiè augebatur; atque ita regem suum fecerat, vt vel bellum eius causâ gereret cum vicinis regibus & cognatis. Nulla res in maiore famâ & inuidiâ, quàm iste amor: atque is satis diuturnus.

Quod docet  
exemplis ant  
veteris, in  
Joab &

Apelles

medij, in  
Seiano,

& Plautia-  
no;  
posterioris, in  
Alfonso Al-  
buquerque,

Duarte Pa-  
cieco,

Consaluo,  
Ferdinando  
Cortefio, &

Aluaro Lu-  
nâ.

Sed quis exitus? *Sicut diuisiones aquarum, sic cor Regis*, ait He- Salomon.  
bræus Sapiens. Occultè abduxit se ab Aluaro, odit quan-  
tum amauerat; denique paucis conscijs, in oppido Bur-  
genfi, sagaciter hominem in vincla coniecit, damnari per  
sententiam iubet, caput abscindi, & in forum per triduum  
ostendi. O cæca mortalitas! tu ille superbus paullò antè  
& insolens, vbi es? quid es? desijsti esse, & tot annorum cu-  
mulata felicitas subito turbine quassata & euerfa est. Verè  
tu prædixeras Aluare, non sine mali præfagio, admiranti-  
bus alijs fortunam tuam, & apud te prædicantibus: *Impro-  
uidi, ne ædificium ante finem operis laudaueritis*. Sed mihi fi-  
nis non sit, si exempla cumulem, obuia, vt verè dixi, in  
omni æuo. AVD. Libet cum Lucilio clamare:

*Vita aulica,  
vita lubri-  
ca, &*

*Verè omne iter hoc est labosum atque lutosum.*

Lucilius.

Certè in lubrico illo culmine & fastigio Aulæ cum Labe-  
rio licet dicere:

*Summum ad gradum cum claritatis veneris,  
Consistes ægrè, & quàm descendas, decides.  
Cecidi ego, cadet qui sequitur.*

Laberius.

*familiaritas  
cum Principe  
periculosa*

Et Claudianus Sidonij verbis appositis: *Periculosam regum* Claud.  
Mam.  
*familiaritatem esse, quorum consuetudinem spectatissimus quis-  
que flammæ naturæ benè comparat, quæ sicut paullulùm à se  
remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt.* LIPS. Ille  
pleno pectore in rem meam sapit. Et mihi tam certum &  
firmum, hoc statu rerum res extremo digito non tangere,  
quàm ad extrema rerum aliquando ire, *Marius Celsus, &  
Suetonius Paullinus* sim: de quib<sup>9</sup> scio quid Tacitus scribat:

*pro mente  
Lipsij, & pro-  
inde ab ipso  
declinata.*

*Stet quicumque volet potens*

Seneca.

*Aulæ culmine lubrico,*

*Me dulcis saturet quies.*

*Obscuro positus loco*

*Leni perfruar otio.*

*In magnâ  
Rep. pulchrû  
illi fuit age-  
re, vel in ex-  
emplum pro-  
cul à tone &  
fulmine,*

Magna Respublica, tu me tene, cõmunis Patria, Dei ho-  
minumque ciuitas: ô pulchrum, in eâ locum ordinemque  
habere, & inter illos classicos censerî! Sit aliquis vel in ex-  
emplû, qui quietem, Musas, se amet, & Numen colat: va-  
na aut vulgata seponat, aut (si superbum non est) spernat.

AVD.

Plinius Iu-  
nior.

AVD. *Ægyptus*, ait Plinius Panegyrico, *alendis augendisque  
feminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus caloque debeat; &*  
vt Seneca ait, *nemo aratorum adspiciat calum:*

Seneca  
Phil.

— *sine nube ferax, imbresque serenos*

Claudia-  
nus.

*Sola tenens, securo poli, non indiga venti:*

& vt alter,

— *nihil indiga mercis,*

*Aut Iouis:*

siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere  
aquarum solita pinguescere, quam

— *quas ipsa vehit Niloque redundat,*

tantis segetibus induitur, vt cum feracissimis terris quasi  
numquam cessura certet. Ita tu tuo lare contentus,

Horat.

*Forumque vitans,*

Valerius.

*Et tristis curis & solitudinibus aula*

*Potentioris limina;*

procul à Ioue & fulmine, tibi Musisque viuis, abundans  
sapientiâ, prudentiâ, virtutibus omnibus, & alijs commu-  
nicans largeque instillans. LIPS. Quid verba facio? ad se

Cent. 7. ad  
Belg. ep. 12.

redeant illi calumniatores, & affectum omittant: vide-  
bunt & intelligent me ita sentire, & vno Religionis fine  
ad meos remeasse. Si quid de amicis. paucos è veteri classe  
repperi; paucos veterum morum. Duellij in meâ patriâ  
& Trebellij regnum possidebant,

*Εἰδότες ἐν σπῆνι δὴτῶ μέλπεσθαι Ἀφροδίτην*

*In pugnam stabili bellum bellare periti.*

quorum amicitiam ego semper aspernatus sum. Sed istæc

a Poliorcet.  
lib. 1. c. 2.b Cér. 3. Mi-  
scel. ep. 5.

Cent. ad

Ital. & Hi-  
span. ep. 62.c Cent. 3. ad  
Belg. ep. 86.

d Cent. ad

Ital. & Hi-  
span. ep. 18.

Cent. ad

Germ. &amp;

Gall. ep. 22.

Cent. 3. ad  
Belg. ep. 8.

frustrâ. An non<sup>a</sup> à nouitatibus abhorrere me factus sum, si  
mortalium quemquam, præsertim in re seriâ, quæ mores  
& vitam spectat: & publicè testatus sum<sup>b</sup> me alienum ab

omni nouitiâ opinione aut errore, firmum in veterum  
scitis? candidum & Fide & Amore & More maiorum?

Argumentum dabit<sup>c</sup> *De vna Religione tractatus*, & a libel-  
li nostri de *Cruce*, quos vel hac causâ scripsi, vt præco-

nes testesque essent, non doctrinæ meæ, sed auitæ pieta-  
tis; quæ mihi in oculis fateor cum illa congeffi, & quæ me

ad scriptionem duxit. illa ipsa Pietas, quæ Senatui Popu-  
loque

non igitur  
spepramij pa-  
triam ante-  
habuit, sed  
Religionis  
zelo;

quod de vna  
Religione  
tractatus, &  
libri de Cru-  
ce docebunt.



loque Antuerpiensi in oculis, cum salutare hoc signum in vrbe mediâ erigebant, trophæum in illius hostes. <sup>a</sup>En manum meam, en adfirmationem. non fallimus in his talibus, in quibus se primum fallit, quisquis alios conatur. O

<sup>a</sup> Cent. ad Ital. & Hispan. ep. 18.

*Emendationes in operibus apud Batavos conscripitis.*

miser qui aliam hâc linguam habet & mentem! <sup>b</sup>Sed & in reliquis meis operibus eodem animo ambigua correxi, <sup>c</sup>aut certè illustravi. <sup>d</sup>Non enim satis ne ipse errem: sed ne alteri sim erroris causa. <sup>e</sup>Nec volui tantum pia, recta, vetera, sequi: sed adferere etiam pro ingenij aut stili viribus, quas Deus dedit. <sup>f</sup>Vt Luna quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit: sic ego sapientiam & dona, quæ à magno illo Deo. <sup>f</sup>De me fateor:

<sup>b</sup> Cent. 3. Miscel. ep.

<sup>c</sup> Cent. 1. Miscel.

<sup>d</sup> Cent. 5. Miscel. ep. 97.

<sup>e</sup> Cent. 5. Miscel. ep. 59.

<sup>f</sup> Cent. 2. Miscel. ep. 88.

<sup>f</sup> Polit. l. 4. c. 13. \* Auctor Thebai.

*Alios docet ac dirigit.*

*\* Ego ille sum, qui scelera committi vetem:*

*Ego sum magister iuris ac moris probi;*

*\* ἐγὼ δὲ περὶ τῶν κακῶν τῶν βίων ἀειζώνων non ignarus rerum que eueniunt in hac vitâ. <sup>b</sup>Sum iuuenum, sum virorum, sum generis humani voce & stilo director & doctor. A V D. O salutaria mihi tua monita, quæ verbis, quæ scriptis! ô eximium doctorem!*

<sup>a</sup> Aristot. 1. Ethic. c. 3. <sup>b</sup> Epist. ad Balth. Morum, quæ disputationi Cod. Mirand. subiungitur. Horat.

*Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non, Plenius ac melius Chryippo & Crantore dicis.*

Bellè sapiens Seneca: *Habet vbi se, etiam in priuato lare, explicet magnus animus: nec vt leonum animaliumque impetus caueis coercetur, sic hominum; quorum maximè in seductu actiones sunt.* Negas Sycionia ista aulica aut cothurnos pedibus tuis conuenire; & secessum ac otium quæris; sed non ignauiam. LIPS. Vbi cumq; otium meum abscondo, prodesse

Senec.

*idq; omni conatu, & sic*

*Reipublica prodest*

*in priuato idq;*

volò singulis & vniuersis, ingenio, voce, consilio. Non enim is solus Reipub. prodest, qui candidatos extrahit, & tuctur reos, & de pace ac bello censet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopiâ, virtute ac pietate instruit animos, qui ad pecuniam, luxuriam, impietatemque cursu ruentes frenat ac retrahit, etsi nihil aliud, certè moratur; in priuato publicum negotium agit. A V D. Cùm omnibus ijs, qui aliquid conati sunt, plurimum debeamus; quantum vtilitatis à doctissimo quoque cepimus, tantum laudis ei adscribendum est.

Seneca.

quan-

quantum veniæ meriti sunt, qui errant; tantò plus merentur, qui emendarunt. Te itaque vt parentem, vt doctorem meum celebros, mercedemque tibi rependo, & rependam, non illam, quam Protagoras sophista pepigit, nec accepit, sed quam Thales sapiens nec pepigit, & accepit. Iste enim Mandraitum Priensensem cum noua quædam & subtilia de cælo ac sole docuisset, offerente illo mercedem quam & quantam vellet: *Hoc pro omni mercede esto, inquit, vt quoties apud alios ea proferes, Thaletem non celes auctorem.*

LIPS. Quæ enim alia nobis merces? Solent Iudæi suos ita Rabbinos citare, vt eorum ferè cuilibet addant, *zihrono librachach*, id est, *cuius memoria in benedictione est.*

*sine vlla mercede, solâ*

*beniuolâ mentione contentum.*

Salomon. Quod expressit Hebræus Sapiens, *Memoria iusti cum laudibus.* Equidem & ego adsurgo & veneror inuenta inuentoresque Sapientiæ: sed vt homo homines, & *qui non domini nostri, sed duces sunt.*

Seneca.

Iul. Capit.

Antonius Pius imagines aureas in larario habebat, ac sepulchra honorabat aditu, hostijs, floribus: ego laudibus. Sed erro extra limites sermonis, & ordinem, quem vnice amo. Proprium hoc Stoïcorum vincire omnia, & quasi annulos necere in catenâ: vt non ordo solùm sed sequela & cohæsiō sit rerum. A V D. Certè ordinem amas, gloriari potes: & eâ re palmam non aufert hæc, fortasse nec prior ætas. Sed quàm ægrè multis est, quòd aliquoties vt hîc, Stoïcos probes & imiteris! Ecce

*Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum,*

*Alia iterum calumnia, quòd Stoïcus.*

qui te omnino Stoïcum vult, præsertim in re Religionis, id est impium. LIPS. <sup>9. 16. 16. 10. 11. 12. 14. 3. 11. 8. 7. 6. 4. 6. 17.</sup> T V N H O M O O S S V G G E R I S;

*Eius auctore exagitat, &*

& ego etiam tuis calumnijs scopus? Sanè mente, vt ait ille, exsensâ es; & Clodium illum Albinum imitaris, qui, vt ait Iulius Capitolinus, adhuc puer, quòd esset animi iam militaris ac superbi, sæpè in scholis inter æquales, Virgiliana illa vsurpabat:

Iul. Capit.

Virgil.

*Arma amens capio, nec sat rationis in armis:*

*Arma amens capio.*

Bonâ gratiâ, abi quæso, & cucurbitas pinge. Quid opus in me sic vltro & ex superuacuo incurrere? quid velut è plastro conuitia iacere? Hæc non sunt compositæ mentis:

Q 3 sed

sed illorum, vt cum Poëtâ dicam,

— εἰς ἐδίδαξαν ἀεισιπρᾶ γράμματα Μῆσαι

— quos litteras Musæ docuere sinistras.

Desine sacrilegâ conuitia fundere linguâ,

Desine, pro I V S T O stat Deus ipse suo.

de periculo  
monet.

Sannazar.

Et caue,

Ne pœnas Nemesis reposcat à te.

Carull.

Est grauis Dea; ledere hanc caueto.

Stoicam se-  
ctam ama-  
uit;

\* Non dissimulo, in pretio & amore mihi Stoïca secta est, <sup>a</sup> Cōst. l. i. cap. 18. <sup>b</sup> virilis illa Secta. nec mirum. Audi Plutarchum in Cleo- <sup>b</sup> Polior. l. 3. d. 6.  
mene, ex professo Academię addictum, & proinde Stoïcis

aduersaria  
etiam lau-  
datam, quia

parum æquum: Εἴχει τὶ ὁ Στοϊκὸς λόγος πρὸς τὰς μεγάλας καὶ ὀρεΐας φύσεις ὅπως φαλὲς ἔχει τὸ δαιμόλιον βαθεῖ δὲ καὶ πρᾶσι περὶ ἀνθρώπων ἡδέει, <sup>Plutarch.</sup>  
μαλιστα εἰς τὸ οἰκείον ἀγαθὸν ὅπως ἰδῶσι. Habet Stoïca doctrina, si in magnam & acrem naturam incidit, aliquid lubricum & anceps; si autem cum graui & miti ingenio temperetur, magnos impetus dat ad verum bonum & virtutem. Oraculi hoc ego vice habeo, in altâ & superbâ naturâ Stoïam non fore vfui; in aliâ

salutaria in  
eâ semina &  
monita,

& modestiore, saluti. Lege paucos eos libros qui exstant vel Senecæ vel Epicteti: Virtutem ipsam scripsisse dicas, & semina salutarium monitorum vbique sparsisse. Non <sup>Seneca.</sup>

passim;

est quod exigas Repetita aut Excerpta: Continuum apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus ista oculiferia, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum cum intrauerit, præter illa quæ in fronte suspensa sunt. Quocumque miseris oculum, id tibi occurret, quod eminere posset, nisi intra paria legeretur. Non

non approba-  
uit, nisi quan-  
tenus Chri-  
stianum  
deces:  
quod etiam  
Arnobius,  
Tertullia-  
nus, Pantan-  
us, inter  
culmina Re-  
ligionis, se-  
cerunt;

sequor tamē aut approbo, nisi in quibus cum Christianis contesserāt. Et nōne etiam inter culmina Religionis, qui à sensibus multis non abierunt? <sup>D. Hieron.</sup> Arnobium possum dicere, & magis Tertullianum, ingenio etiam Stoïcum & seuerum. Quid magnum illum Pantanum, Alexandria sacrorum doctorem, & antistitem? Hieronymus de illo apertè: Pantanus Stoïca secta Philosophus, ob præsequam eruditionis gloriam missus est in Indiam, vt Christum apud Brachmanas & illius gentis philosophos prædicaret. Optimè ab optimis illis factum: Philosophus ad philosophos missus, Stoïcus ad Brachmanas, nec opinionibus quidem nimis dissidentes.

Et

Et fructum verò ingentem fecit, laudemque rettulit: & mox Alexandriam rediens in eâ obiit, cum scholæ illic nobili plures annos præfuisset. In quâ succedere sibi voluit *Clementem Alexandrinum*: illum cuius totijugam doctrinam Ecclesia etiam nunc admiratur & fruitur in libris qui exstant. Qui ipse quàm sæpè Stoïcus est, & dogmata eorum sacris nostris aptat? Et meritò aptat. nam Hieronymi illius sanctioris an doctioris viri sententia est, de tabellâ & scripto recitanda: *Stoïci nostro dogmati in plerisque concordant*. Concordant? ita: & quod sequitur, occultè ad nostrum dogma & ad pietatè ducunt. Sine fuce dicam, mihi euenisse. Audio magnum illum *Carolus Borromæus*, *serpe*, sacrâ purpurâ, virtute maximè clarû, sæpè fastium Epicteti se libris motum & monitum ad cõtemptum rerum humanarum, amorem diuinarum, venisse. Et quæ Secta aut Deum magis aperuit & homini inseruit, aut ea quæ ad ipsum? maiestatem dico eius, prouidentiam, gubernationè, & curam nostri. Quem primum limitem esse ad cognitionem & amorem veri Dei, nemo negat. Hæc mihi sanctam illam non probam prorsus fecerunt (absit:) sed probabilem tamè supra ceteras, quæ magis humi & circa hominem repunt. Iam de moribus & animorum lustratione, quis Senecæ, Epicteto, Arriano (quamquam ille Epictetus alter est, & loquitur ferè eius verbis) hac parte præponendus? Multa & præclara Plato, confiteor; multa Aristoteles: sed non robore eodem aut neruis. Spirat nescio quis calor in Senecæ aut Epicteti scriptis, qui ad lectorem quoque peruenit: nec differere illi magis de Virtute videtur, quàm inferere & inculcare. Sed Stoïam cur vberius verbis laudem? Frustrâ. quia vt montium altitudo procul nõ apparet, sed cum accesseris: nõ item huius splendor, nisi cum pernõris. Pernosci autem sine Christianâ veraque religione non potest. quæ prælucentem si tollis: fateor ecce & clamor, ludibrium illa, vanitas, delirium est: Benè Tertullianus: *Cui veritas cognita, sine Deo? cui Deus, sine Christo?* Et sic non auersor Stoïci nomen, sed Stoïci Christiani, & quidem <sup>a</sup> puri prisci que ritus. <sup>b</sup> Seriò enim scio ac sentio, in

itemq; Clementis Alexandrinus,

et D. Hieronymus,

et hoc auctore Carolus Borromæus.

illa de Deo supra alias sectas pulchra.

de moribus præclara describit;

quod in Senecâ et Epicteto videlicet;

quæ tamen vana sunt nisi cum Christianâ Religione coniungantur: quod Lipsius fecit

Idem.

Cent. 2. ad Belg. ep. 1.

Tertull.  
a Ad Lect. Hall.  
b Cent. 1. Miscell. ep. 97.

*in vno Deo  
eiusq; filio  
IESV omnem  
spem salutis  
collocans.*

vno Deo & Filio eius Christo, qui nos benignè redemit, liberavit, spem omnem positam humanæ salutis. Vias ad eam perueniendi expressas in Sacris litteris. Nec hæc externa omnia & Philologa siue Philosophæ, aliud esse quàm accessiones quasdam & ornamenta: folia, inquam, non fructus. Quod iudicium meum in libro meo De Cōstantiā in fronte apparet. A V D. Sed semper sacra te volunt promere, & adire puriores illos fontes, qui meliores. LIPS.

Cent. 1. ad  
Belg. ep. 8.

*Sacras litte-  
ras & Theo-  
logiam amat  
& adit.*

Meliores fateor: sed adde etiam grauiores. Lacertos meos expendo, & artus artefq; libro: cur onus mihi imponi patiar cui non sum ferendo? Theologis, id est magnis altisq; viris (& eximios multos hæc ætas tulit) magna ista & alta relinquo, mea cymba legit littus. Elephantes, aiunt, etsi annibus impensè delectetur, haud temerè tamen eos ingreai, cūm inscij sint natandi: idem in Theologiā mihi, quam amo, quam æstimo, & tingo salubribus eius aquis libens animum, non tamen mergo. Quæstionum enim vortices illos horreo: ijsq; ne inuoluam, assideo & obambulo saltem eius ripas. Et hinc tamen haurio & ex tuto sumo, quæ ad vsum. Nam acumina aut dissertatiunculæ quid iuuent? Quod ille de Virtute censet, rem esse, nō verba; iustiùs ego de Theologia. cuius verum seriumq; finem scio, vitam. Vt melior, non vt doctior fiam, sacra illa volumina tango: vt pectus instruam, non vt acuam mentem. <sup>a</sup> Piè sancteque de diuinis sentio; <sup>b</sup> haut procaciter inter Religionis sinus & scopulos nauigo. <sup>c</sup> Et prima illa summaque opinio est, nihil hîc sapere præter id quod Ecclesia prisca, id est Romana. <sup>d</sup> in cuius castris sub *Crucis* illo vexillo, quod descriptum & explicatum à nobis, milito; <sup>e</sup> nec transfuga vinq; ad nouitates ibo. <sup>f</sup> Siquid vsquam præter Religionem morefque veterum, non agnosco: & tibi adhæreo \* *Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli Petrus & Paulus cum sanguine suo profuderunt.* Hæc ex animo dicta, scripta, vt in animum demittas, te, per spes tuas, & quidquid carum est, Lector, rogo. <sup>g</sup> Enimuerò quem modicè peritum antiquæ historiæ & Ecclesiæ, in Græcis Latinisq; Patribus versatum, ceperit hæc noui-

*& salubri-  
bus praeceptis  
animū mu-  
nit, non ad  
altercationē,*

*sed ad vsum.*

*vt melior  
fiat, non vt  
doctior.*

*De Diuinis  
piè sentit, &  
in omnibus  
cum matre  
Ecclesiā sap-  
pit.  
Crucis ve-  
xillo testis;*

*nec quidquā  
præter Reli-  
gionem mo-  
resq; veterū  
agnoscit,*

*quam Patres  
adstruunt,  
nouatores  
diruunt.*

a Cent. 5.  
Miscell.  
ep. 60.  
b De vnâ  
Relig.  
c Cent. ad  
Ital. & Hi-  
span. ep. 11.  
d Cent. ad  
Germ. &  
Gall. ep. 22.  
e Cent. ad  
Ital. & Hi-  
span. ep. 62.  
f Ad Lect.  
Cruc.  
\* Hoc de  
Romanâ  
Tertul.  
g Cent. ad  
Ital. & Hi-  
span. ep. 12.  
tas?

<sup>a</sup> Contra  
Dialogist.  
<sup>b</sup> Cent. 4.  
Miscell.  
epist. 62.  
<sup>c</sup> Cyprian.

tas<sup>a</sup> Plusculum nos in ijs intelleximus: <sup>b</sup> & subit sapè (dicendum est) miseratio, cùm video non pari splendore aut dignitate tractari. \* Corruptores atque interpretes falsi

qui in honeste veterum scripta allegant.

<sup>c</sup> Cët. 5. Miscell. ep. 15.

sunt, extrema ponunt & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes. vt ipsi ab Ecclesiâ scissi sunt, ita vnus capituli sententiam scindüt. Semper igitur Ecclesiæ S. Romanæ ritibus & præceptis libens, vt deo, parui: & cum sensu etiam aliquo incommodi ieiunia, & Quadragesimalem in cibo castimoniam seruauit. Scio homini, Christiano præsertim, summam felicitatis (vt ait Seneca) non esse in carne ponendam: & scio etiam primogenios parentes nostros à Paradisi gaudijs per cibi voluptatem excidisse. Itaque rediri etiam ad illa per Abstemiam: sed iudicio tamen & prudentiâ temperatam. Non enim per eam caro, vt vir sanctus scripsit, sed carnis

et segmenta proferunt, veritatem subdolè comprimentes. Semper igitur S. Ecclesiæ præceptis paruit, Quadragesimam et ieiunia obseruauit.

<sup>d</sup> Cent. ad Ital. & Hispan. ep. 18.

vitia sunt extinguenda. <sup>d</sup> Sanctos Dei, benignos cælites pie & purè colo, id est, ritu prisco: & præsertim DIVAM VIRGINEM. <sup>e</sup> Quæ Regina cæli, terræ, maris est: supra quam nihil nisi Deus est: & Luna ab illo Sole proxima est. Imò

Sanctos pie colit, et præcipue DIVAM Virginem.

<sup>e</sup> D. Hal. c. 36.

*Quæ magni genus est Dei,  
Cui Deus ipse  
Imputat genus, et suam  
Inscribit sibi matrem.*

Capit. 1. 9.  
15. Diuæ  
Hal.

A primâ igitur adolescentiâ eius amorem & cultum indui, eamque Patronam mihi & ducem in periculis, in molestijs, & in omni vitæ cursu elegi, & sensi variè auxiliari. Etiam in studijs: & siquid accuratiùs pangendum, aut dicendum publicè esset, vbi Famae vel memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eam iuisse me fateor: & felici ferè successu. Itaque vt primùm licuit, in SODALITIVM eius nomen etiam dedi, quod apud Eburones, & in hac item vrbe frequens honestumque est: cui Patres Societatis IESV præsident, diriguntque. Ab eodem deinde isto affectu Hallas adspiravi, tandem iui: locum in multâ apud nostros & exteros famâ, & inclytum Miraculis, quæ tutellaris ibi Diua à multis iam annis patrat. Sed cùm veni, calidè templum adij, ac preces cœpi fundere:

quam à primâ adolescentiâ amavit, et in omnibus Patronam habuit:

in Sodalitii eius nomen dedit.

Eam Hallis coluit precibus,

Rr

Sacram

*Sacram pronus ad aram  
Flecto corpus, & ipsam  
Consecro mentem.*

*& versibus:* Versibus paullò pòst testatus sum mecum gaudium, & laudes Diuæ leuiter tetigi. Nam plura non dabatur, & licet illam

*Prædicare silentio,  
Quæ laudes hominum supra,  
Quæ Geniorum.*

*& pennam  
argenteam  
suspendit,*

*Miracula  
vulgauit &  
ibi & Siche-  
mij patrata,*

*ut vel sic  
hæresim  
frangeret &  
calcaret.*

Ipsum me, & hoc quidquid ingenij ac stili est, ei dedi, dicaui, consecraui ex animo: pennamque argenteam in templo, ante aram eius suspendi, & versus subscripsi. Facta miranda, supra captum aut fidem hominum, supra ipsam naturam, ibi & in Colle acuto prope Sichegium patrata, scripto complexus sum, & Dei ac D. Virginis gloriæ vulgavi, ac publicè militem egi in Ecclesiæ castris. Non possumus aliâ re, credo, efficacius frangere & calcare Hæresim, quàm hoc Miraculorum fulmine: vbi non verbis, sed factis disputamus, & impudentissimorum etiam oculos atque animos perstringimus istâ rerum maiestate. Ideoque piè & viriliter hæc scribi & prodi posteris arbitror: vtinam maiores nostri industriè & intentè semper fecissent! Annales condimus, & facta aut facinora hominum, imò & scelera propagamus: & non magis Dei Diuorumque opera decet & iuuat? A V D. Decet. Et an non iuuat vbi tam palàm fructus, & tam magnus est? Et fructus quidem non vnus. Gaudemus igitur & iactamus nos & omnes boni, quamuis improbi liueant & calumnientur. Miror tamen in re tam clarâ & testatâ posse obduci, quod vel apud improbos colorem habeat veritatis. L I P S.

*& hæreticos  
perstringeret.*

*Ne tu, quod illi fabulantur, aures immittas tuas.*

Captiuus.

*qui semper  
iniqui in Di-  
uam matrè:  
sed cum of-  
fensâ Dei.*

Quis enim nescit tot istas hodie nouellarum opinionum sectas, consensu & velut de compacto in vnâ D I V A M V I R G I N E M incurrere, & decus eius omne ire imminutum? Sed Deus vindex illam tuebitur. Ego sanè libens tales scriptiones obeo, & sine molestiâ obeo: siue animo siue Diuâ ipsâ subleuante, & recreante. Mali aut morosi, & prauè

prauè sapientes non deterrent, quamuis improbent, tamquam à narrationibus parum certis, vt aiunt, & opinione sæpè nixis. Non debere talibus obsolescere auctoritatem nostram. Dissensio. & aut istis fides sua certa apud me, & bonos est: aut quid adferent, cur antiquioribus eam præstem? sunt testes, sunt examina, & quæ in profanâ historiâ minimè adhibentur; & huic tamen credo: diuinis tantùm refragabor, & ad sensus mei ostium claudâ? Prauitas est: & hi tales per cuniculos subuertunt arcem Religionis nostræ, quæ Miraculis est superstructa. Itaque nos illos spernimus, qui sine vllâ aliâ adstructione, *sola magnitudine mendacij fidem querunt.* **SVMVM PONTIFICEM** Vicarium Christi in terris & Ecclesiæ caput habeo. Et vel ideò Senecam meum illi inscripsi, vt orbi constet, quem caput Religionis in orbe esse velim. Illi cælestis ille Spiritus semper adhsistit, & inspirando dirigit: illum Europa, Asia, Africa, illum America & ipse nouus Orbis suspiciunt, & ab Oraculo eius solliciti omnes pendēt, & iura ac leges sacrorum perunt. \* Atque etiam nunc quidquid tranquilli & pacati est in re Christianâ, id manat ab vno illo Capite. Romanus ille Dictator, vt sic appellem, & Pontifex, fulcrum aut vinculum est, quod sustinet, quod ligat labentes aut dissentientes in malè compacto hoc ædificio partes. Abite non impij solùm, sed imperiti, qui aliter nobis cõstat hanc ipsam Romam, & sacrum in eâ imperium, *fuisse & esse anchoram fluctuanti diu Europæ.* Ipsi Reges & Principes ad eum & inclinantur, & obnoxia capita vni huic capiti submitunt. Quid Principes aut homines loquor? ipsi aërei, terreni, inferi spiritus, siue Genij, verentur & trepidant; & celestem illam in terris potestatem vel inuiti ac reluctâtes agnoscunt. Iam illos ex omni nostro orbe selectos **ECCLESIAE PROCERES**, moribus, prudentiâ, annis spectandos, quidni venerer, amem, honorem? quorum confessum si vetus ille Cyneas videat, nihil ambigat vel cum Regibus, vel cum Heroibus comparare. **PATRES SOCIETATIS IESV** semper amaui & probaui; & publicè non semel professus sum. Illi me Rhetoricis, illi Philosophicis

*ideò, omnes illos carptores & calumniatores contemnit.*

**SVMVM PONTIFICEM Ecclesiæ caput agnoscit,**

*ab illo tranquillitatem & unitatem in re Christianâ esse.*

*illum imperiũ in Principes habere, & in ipsos spiritus.*

*Cardinalitiam dignitatem veneratur & amat.*

**SOCIETATIS PATRES reueretur.**

Cent. 5.  
Miscell.  
ep. 98.  
Cent. 5.  
Miscell.  
ep. 84.

\*Præf. Sen.

\*Ad Lect.  
Admir.

Ibidem.

Cent. 3.  
Miscell.  
ep. 30.  
Cent. 3.  
Miscell.  
ep. 87.



qui litteris  
& sapientiâ  
ipsum im-  
buerunt.

Et in omnem  
vitam profu-  
tura monita  
prescripse-  
runt.

imbuerunt; illi salutaria in omnem vitam præcepta dede-  
runt & præiuerunt. Vt Vlyssi illi naufrago Leucothea vit-  
tam sub pectore ponendam dedit, quâ tutus à turbine &  
tempestate esset: sic illi Sapientiæ præceptis me præcinxê-  
re. ad quæ, (vt Homeri similitudine vtar,

Ως ὅτε πρὸς δαλδὸν ἀποδῆϊ ἐπέκρυψε μελαίνη,  
Ἀγρὴ ἐπ' ἑχαπῆς, ὧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι,  
Σπέρμα πυρὸς σάζων.

*Sicut qui torrem cinerum sub tegmine celat,  
Longinquis in agrorum, & vbi vicinia rara est,  
Ignis conseruans sibi semina,)*

semper ferè vitam meam & mores composui, ignem aut  
lumen è fomentis illis eliciens. Imò etiam nunc

Audio quid veteres olim moueatis amici.

O viros à  
calo missos!

sapientes,  
prudentes,

facundos,

AVD. Etiam ego, mi Doctor, quoties ad amatos illos Pa-  
tres inuiso, sentio trepido quodam gaudio, & mixtâ vene-  
ratione, corpus animumque percelli, & palàm in illis Sa-  
pientiam Prudentiamque habitare, quæ vel ignaris men-  
tibus se superfundunt. Cùm alloquor, facundissimum ser-  
monem ore eorum, quasi è beato quodam eloquentiæ  
fonte, manare audio. Platoni olim, vt in prodigio est, mel  
suum apes, velut diuinæ facundiæ indices, in os inferue-  
runt: illis verò Gratia ipsæ, *non montem Hymettum* (Valerij  
verbis vtor) *thymi flore redolentem, sed Musarum Heliconios  
colles omni genere doctrinæ virentes, Dearum instinctu depasta,  
maximis ingenijs dulcissima alimenta summa eloquentiæ instilla-*  
*se videntur.* Et vt portus in mari Deus statuit, iactatis re-  
fugium: sic hos magnos patronos, quibus in turbido istoc  
Religionis ac Pietatis recremur & referuemur; ne impro-  
uifus vortex infernalis vnde nos absorbeat, aeternoque exi-  
tio demergat.

In FRANCI-  
SCANOS ani-  
mo & adse-  
ñu pronus,

viros pietate  
insignes:

LIPS. Idem etiam de Sodalitio D. F. R. A. N-  
C I S C I cenfeo; in quod hic animus conscius sibi semper  
eximij affectus, vt vicissim meruerit, etiam aliquem ab il-  
lis. Et iure eum habui. quidni in eos, qui pietatis omnes  
numeros persequuntur, aut habent; & eam in aliorum  
animis excitant aut depangunt? Vtrumque igitur hunc  
Ordinem diuinitus institutum scio, magno rei Christianæ  
bono.

Cent. 3. ad  
Belg. ep. 76  
Cent. ad  
Ital. & Hi-  
span. ep. 56.

Manud.  
lib. I.  
Diff. XIII.

bono. Sed & CAPPVCINOS istos quos dicimus, veræ vir-  
tutis, patientiæ, inopiæ & pietatis exemplar, quis sine ani-  
mi aliquo motu aut impulsu videt? quis visos non mira-  
tur & probat? Inò omnes RELIGIOSIORVM ORDINES  
si quis consideret etiam ex aduersarijs, quamuis ore neget,  
tacito tamen consensu Diuino amore plenos, & fauore  
Dei dignos iudicat. Quàm laudabiles etiam DEVOTAE  
DEO PVELLAE, ætate adultâ, voluntate præuiâ, quæ diui-  
no cultui corpus atque animum manciparunt? Beata  
VIRGINITAS, quæ cum Angelis de gloriâ certat: certat?  
imò superat, virtute, non felicitate; quia illorum tota à  
Dei munere est, istarum ab electione: sine pugnâ aut la-  
bore illa, ista à certamine parata; & quæ laudem habere,  
illa admirationem tantum potest. *O illustris portio* (Cypria-  
ni verba agnosce) *gregis Christi! ô flos nunc in terrâ religio-  
nis, lucida sidera olim in cælo! A V D.*

CAPPVCI-  
NOS admi-  
ratur.

OMNES  
RELIGIO-  
SOS ORDI-  
NES appro-  
bat.  
MONIALES  
laudat.

VIRGI-  
NITATEM  
cum Angelo-  
rum gloriâ  
comparat.

Præf. Vest.

Sanazar.

*Gaudete cœtus Virginum,  
Plenas habentes lampadas.*

Sed quàm hîc incurrunt vndique & incurfant! Religioso-  
rum & Virginum vitam eleuant: mores, sanctimoniam,  
genus vitæ, carpunt: otium & desidiâ obijciunt; & ne-  
scio quæ monstra vocent. Iam si labecula aliqua aut labes,  
quàm tonant, quàm malitiosè augent & attollunt! Vt cõ-  
uallium ille sonus, quem Echo dicimus, pro vnâ voce ac-  
ceptâ duas trêsvæ aut plures reddit: sic isti geminant &  
multiplicant visa & audita. Ad summam, quod Medici  
de cucurbitis dicunt, quas corpori affigunt, non nisi pra-  
uum eas vitiosumque sanguinem educere: veriùs de istis  
ego, qui attrahunt ad se non nisi mala. Atque vtinam at-  
trahant tantum! sed semper à se addunt & inspargunt, &  
vt dicta aut facta referunt, quæ nec in somnio cogitata.  
Sicut aranæ casses & filamenta mirâ arte è suo corpore  
gignunt: sic isti fraudum argutos laqueos suo opte ingenio  
nectunt. L I P S. Quæ hæc æui proteruia, & licentia  
est? Clamem iure cum poëtâ:

Hæretici no-  
stri iniuriosi  
in Religiosos.

*Ἦν νῦν αἰδῶς μὲρ ἐν ἀνδράποισιν ἔλωλεν,  
Αὐτὰρ ἀναιδεῖν γαίαν ἕως ῥέρεται.*

R r 3

Nunc

Nunc certè pudor in mortalibus est extinctus,  
Terrarum improbitas occupat imperium.

O malignitas! & quid non vellicare potes? Sed, mi Auditor, ad quid aliud sedent isti, (cum D. Augustino loquor) <sup>Epist. cxxx. VII.</sup> quid aliud captant, nisi ut cum quis Episcopus, vel Clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari. Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. At non habēdo quod in causā suā diuisionis defendāt, non nisi hominum crimina colligere adfectant, & ea ipsa plura falsissimè tractant: ut quia ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, quā vbique diffusa CHRISTI ECCLESIA commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt. En imaginem clarā horum temporum! quam quasi diuinando Diuinus ille Antistes nobis reliquit; & in quā libēs abiungo. Illa igitur mea & bonorum Religio, quam non vitā solūm prætulī, sed linguā & stilo expressi. A V D.

Abiungit de  
suā Religio-  
ne, & quia ea  
Catholica,  
hanc solam  
approbat.

— Dīs pietas tua  
Et Musa cordi est;

tibi veritas & vera fides, quam nunc & aliās semper probasti. L I P S. Non probem? & hanc solam probo. A V D. Optimum probare optimum est, & in eā optimè viuere laudabile. L I P S. Sed & salutare. Nam vna tantūm est, quā saluamur; quæ ex libris Sacris petitur, idque pro Ecclesiæ Catholicæ sensu. Hic est fons veritatis, ait Lactantius, hoc domicilium fidei, hoc templum DEI: quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. <sup>a</sup> Quisquis igitur es, in auitā Religione perseuera, <sup>a</sup> cum priscā Ecclesiā sape. Nam quæ aliquid libauit è Patribus aut Concilijs (nos fecimus) scit illam esse vnam, scit veram. <sup>c</sup> Illa nempe, illa est, quæ non modò tot Regum ac Principum, sed quod longè præclarius est, omnium Sanctorum communis Mater, & in cuius gremio mori felicius est, quàm ab initio

quia vna salu-  
turis via.

Illam Patres  
& Concilia  
asserunt:

in eā mori  
felix; &

III. Ser-  
monis pars,  
QVAM RE-  
LIGIO-  
NEM PRO-  
BET.  
Dialog.

Lib. iv.  
cap. vlt.

<sup>a</sup> D. Hall.  
c. XII.  
<sup>b</sup> Cent. ad  
Ital. & Hi-  
span. ep. II.  
<sup>c</sup> E Testa-  
mēto Ioan.  
Samofcij  
Poloniæ  
Cæcellarij.

a Cent. 5.  
Miscell.  
ep. 85.

initio nasci. cum non nasci satius sit, quam in hac non mori. <sup>a</sup> Hæc proinde omnibus assu-  
menda.

b Dialogist.

igitur prima hominis cura erit, vt fundamentum Virtu-  
tum ac Salutis habeat. <sup>b</sup> Atque vt nauis, ædium, aliarum-  
que rerum carinas aut fundamenta volumus esse & prima

Synefius.  
c Cæt. 1. ad  
Belg. ep. 50.

& firmissima : sic hîc decet. *Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβέλῃτω,* vt omnium  
reliquarum  
virtutum  
fundamen-  
tum.  
*Pietas primùm substernitor,* ait Synefius Episcopus. <sup>c</sup> Et sic-  
ut Mercurius ille apud Homerum talaria, siue vt ipse ap-  
pellat *καλὰ πέλῃλα* fumebat: quæ ferrent eum

— ἡμῶν ἐφ' ὑγρῆν,

Ἡ δ' ἐπ' ἀπέεργα γαῖαν, ἀμα ποιοῖς ἀνέμοιο.

— seu super undam,

*Seu super immensam terram, auras equiparantem:*

sic homines Christiani alam duplicem Religionis & Pie-  
tatis, quâ subuolentis & emineatis super errores fidei & er-

Pol. 1. 1. c. 3.

rabundos nouatores. In CVLTU ipso ad interiora semper Verus Dei  
cultus in  
actione con-  
sistit.  
præuertere, & cense, Cultum Dei esse optimum eundem-  
que castissimum, vt eum semper purâ, integrâ, incorruptâ  
& mente & voce venereris. Aureum tibi dictû imprimo:

Seneca.

*Optimus animus pulcherrimus Dei cultus.* Breuiter hoc ip-

Lib. v. c. x.

sum & acutè Lactantius : *Religiosissimus est cultus imitari.*

Trismeg.

Etiam Hermes AEGYPTIUS, *Θρησκεία τῆς θεῆς μία ἐστὶ, καὶ ἐστὶ καλόν.*

Pol. ibid.

*vnus* (certè præcipuus) *Dei cultus est, non esse malum.* In ver- non in aliter-  
catione.

Lact. 1. v.  
c. ix.

bis igitur aut quæstiunculis, ne nimium mihi pruri. ad fa-

Cent. 3.  
Miscell.  
ep. 99.

cta abi, quia *Christianorum omnis Religio sine scelere & sine*

*maculâ viuere.* Ama sine vento scientiam, sine nouitate pie-

tatem. Publicâ viâ qui excidit & semitas quærit, errores &

flexus quærit. Sperne, ita te Deus hîc honestum, alibi bea-

tum velit. Moyser illum Aegyptium audi, qui de fide cu- exemplo Moy-  
sis Aegypti.

iusque, magis oculis quàm auribus credit. Et Euripidis il-

lud cogita:

Τὸ σωφρονεῖν δὲ, καὶ σέβειν τὰ θεῶν,

καλλίστον οἶμαι, ἀλλὰ καὶ σφώτατον

Θνητοῖσι ἔργον.

*Sapere modestè, & colere quæ diuina sunt,*

*Pulcherrimum puto, atque sapientissimum*

*Homini esse.*

Ex dicto  
Euripidis.

ad Lect.  
Hall.

Puto tecum Euripides: & odi, odi curiosulos, qui etiam in  
illa

Disputare  
cum pericu-  
losum & la-  
psu proxi-  
mum.

illa penetrant, id est Giganteo periculo in cælum scan-  
dunt. Et cum omnia fecerint, cum cælum & terram sub-  
tilis ingenij alâ peruolarint; quid aliud, quàm cum Ari-  
stophanæo Socrate *ἀεγλάτῃσι*; per aërem *ἰκέδουν*? Et quàm  
multi hodie natant in hoc freto, & disputationum hîc flu-  
ctibus abripiuntur? Tu aliter, vt tutò & feliciter scandas:

Præscrip-  
Const.

Spernenda  
igitur hare-  
ticorum ar-  
guta, & do-  
ctiorū vesti-  
gia insisten-  
da, quod tu-  
sum est.

quod voueo & doceo, sequimini adolescentes. Vt Con-  
stantino olim cælitus ostensa & deformata sacra illa  
Crux, cum inscriptione, IN HOC VINCE: sic vobis Docto-  
res fato nati (fas ita loqui) ad veram Religionem, & cum  
eâ pietatem excitandam; illos audite, sequimini; & sub il-  
lorum nominum ductu auspiciisque VINCI TE. AVD.

Cent. 1. ad  
Belg. cp. 50

S. Gre-  
gorio pla-  
uit.

Quid? LIPSI. Hæreticorum curiositatem, & inutiles, imò  
noxias illas super Religione disputationes. Quando ma-  
gni illi proceres viam faciunt & præeunt, facile istas Lunas  
sequi potestis minora astra. Quid iuuat ista omnis disser-  
tio, & indagatio? Non enim, qui sermone sapit, is mihi sapit

Cæt. 3. Mi-  
scell. cp. 1.

Vbi, à qui-  
bus &

(ait vir sanctus) nec qui linguam disertam & volubilem habet,  
mentem autem inconstantem & indoctam: sed magis, qui pau-  
ca de Virtute disserit, multa autem factis ostendit, & fidem  
verbis suis ipsâ vitâ conciliat. AVD. Disputationes ergo  
damnas? LIPSI. Non, si in loco, si inter idoneos, si cum

Gregorius  
Theolo-  
gus.

quatenus dis-  
putandum.

modo vsurpatæ. Locum censeo Scholas, Academias, Col-  
legia. Idoneos, rerum sacrarum & Philosophiæ item perito-  
s. Modum, vt contentio & nimia subtilitas absint. Nec

Dialog.

Publica &  
populares  
disputationes  
noxia.

enim quidquam minùs conuenit, quàm subdola ista calliditas, ani-  
mis conantibus magna. Sed in publico & in populo (nisi Prin-  
cipi aut ijs qui præfunt, ob causas, aliter videatur) Dispu-  
tationes omnes valdè improbem. Primùm, quia per eas  
excitantur ad nouitates multi & pruriunt.

Sen. ep. 1.

Sisinnij

Humanum genus est auidum nimis auricularum,  
ait poëta. Deinde quia Sisinnij consilium (in re quidem  
istâ Religionis) mihi probum, \* Viri diserti, rerum vsu periti,  
in litteris Sacris eruditi, & summi item Philosophi. Nam hæc  
elogia illi dant Scriptores. Is igitur Theodosio aiebat:

Lucret.

elegans &  
prudens con-  
silium: &

Disceptationes non solum non reconciliare schismata, sed hæreti-  
cos prætereà ad contentionem magis accendere. Idcirco concer-  
tationes

\* Socr. Ec-  
cles. hist. v.  
cap. x. &  
alij.

Sozom. lib.  
vii. Eccles.  
Hist. cap.  
xii.

tationes Dialecticas vitandas, testesque adhibendas tantum Formulas fidei à veteribus editas. Antiqua enim & antiquos si rejiciunt, quæ ratio aut argutia eos vincet?

Oppian.

αἰεὶ ἀπρεσβύτων νότον ἀνδρῶν  
 Δύομαχον, ἔδλ' ἐδέλωσι καὶ ἀπρεβέας, τῶν δ' ἑαδῶν.

mens refractaria semper

Indoctorum hominum, & nolunt vel cedere veris.

Nicetas  
 Choniat.

Andronicus igitur Imperator sapiens, qui tantum absuit ut morem tunc & nunc receptum de diuinis dogmatibus disse-  
 rendi probaret, aut de Deo nouum aliquid vel dicere vel audi-  
 re vellet (et si ipse rerum diuinarum peritissimus) ut Nouarum  
 Patrarum Episcopum Euthymium, virum eruditione clarum,  
 & Joannem Cinamum, in tabernaculo suo contra Lopadium dis-  
 ferentes super isto, PATER MAIOR ME EST, non so-  
 lum obiurgarit, sed etiam abiecturum se in præfluentem amnem  
 Rhyndacum serio minatus sit, nisi desisterent talia loqui. Sed  
 & Turcæ & Moschi hac parte sapiunt: apud quos de reli-  
 gione sacrisque disputare, capitale est. O probus hic mos,  
 qui vtinam etiam nunc vigeret! cum per curiosas istas  
 contentiones multi labantur in hæresim, quam ego sem-  
 per DAMNO; & extra vnam illam Catholicam nullas  
 alias sectas religiones fero. & firmiter hæc nostra senten-  
 tia est. O sæculum hoc (audebo dicere) quàm parum mi-  
 hi places! quo nullum vniquã feracius Religionum fuit,  
 sterilius Pietatis. quo noxæ integritas, contumeliæ pu-  
 dor, ludibrio fides est. Relligio passim nunc in ore, im-  
 probitas in corde. Verba pietatem sonant, facta ambitio-  
 nem, auaritiam: nec in vno altero ve, sed apud plerum-  
 que ordinem, ætatem, sexum.

Andronici  
 exemplum  
 in Disputa-  
 tionibus dā-  
 nanda, aut

subtilibus in-  
 quisiциони-  
 bus: itemq;

Turcarum  
 mos.

Per conten-  
 tiones lapsus  
 in hæreses

qua varia in  
 hoc sæculum  
 influxere, cū  
 multis pecca-  
 tis & impie-  
 tatibus, idq;  
 specie virtu-  
 tum.

iv. pars  
 Sermonis,  
 QUAM RE-  
 LIGIO-  
 NEM DA-  
 MNET.  
 Præfcr.  
 Confl.  
 a Cent. I.  
 Miscell.  
 epist. 8.  
 b Cent. 2.  
 Miscell.  
 epist. 6.

Cent. ad  
 Ital. & Hi-  
 span. ep. 59.

Quæ non flagitia adspicis?

Quas labes scelerum? ruit

Doctrina illa vetus Patrum, &

Patria Virtus.

AUDITOR.

Horat.

quid nos dura refugimus

Ætas? quid intactum nefasti

Liquimus? vnde manus iuuentus

Sf

Metu

## Metu deorum continuuit? quibus

Pepercit aris?

O nimium fertilis venenorum ætas, quam fœnerario Cent. 3. ad Belg. ep. 49  
 Hæreticorū hodiernorum mala fata & facta in Europâ: sed furgis fœtu! De Religione satis multi loquuntur, pauci Cent. ad German. & Gall. ep. 25.  
 vitâ exprimunt, & mores à professione discordant. LIPS. Verè, verè. Et Nouatores seu nouelli isti nostri, quàm

periculosa  
 ista sermo-  
 cinatio, &  
 obnoxia ca-  
 lumniis;

morum virtutumque degeneres sunt, *ποικολομήται, δόλων ἄνθρωποι, mente variâ, fraudum pleni*, vt Homerus Vlysses suum describit: per quos nobiles aliquot Europæ partes non labi sed ruere incœperunt! Sed quàm periculosum hac de re differere! A V D. At quis hîc filebit? L I P S.

non omitten-  
 da tamen,  
 quia  
 non curiosa,  
 sed vilis.

Non ego. & quamuis cum Platone sciam *ἐὐδελόλα τὰ* In Eutyph.

*τοιαῦτα* *πρὸς τοὺς πολλοὺς, calumnijs hæc obnoxia in vulgus*: nec quidquam tam probè aut prouidè hîc dici, *quod non* Seneca epist.

*vellicare malignitas possit*: tamen subibo hoc discrimen, & pro virili aquam irfundam in sacrum hunc ignem.

Damna &  
 bella qua ho-  
 dierna Hære-  
 sis in Euro-  
 pam intulit.

Hoc excusatiùs, quòd non curiositas me impellit, sed publica utilitas, & quia priora ita exigunt: tum etiam præsens hic Europæ status, quem nego me sine lacrymis intueri. O melior mundi pars, quas dissidiorum faces Religio tibi accendit! Atque ita accendit, vt magna prudentia, imò felicitas fuerit, si omnino restinguantur. Vt enim fratrum odia acerrima sunt: sic eorum ferè, qui consortes aliquando eiusdem religionis. Colliduntur inter se Christianæ reipublicæ capita, miserabili & nouo prorsus exemplo. Videamus Annales omnium gentium, & omnis æui: tam acria, tam diuturna bella pugnata non legemus de Religione. Iuuenalis pro miro & monstro habuit, duo oppida in Aegypto concurrissè inter se ob hanc causam, & id dignum Satyrâ censuit: quid nunc diceret aut scriberet, vbi Europa pænè tota, & milleni aliquot homines perierunt ac pereunt, per speciem pietatis? cùm tamen ludi & summi scelestè interueniant; & quorundam ambitio aut auaritia veletur hoc mantello. Paullus Aemilius pro me loquitur: *Nihil in* In Phil. 2.  
*sacris bellis perinde offuit, atque mos iam exortus, vt honestâ prescriptione suas quisque respiciat res. In ore oranium San-*

Etum

*Etum Piumque versetur: consilio, conatu, animo, secus afficiantur. Si de Religione tantum agatur, si obliuio noxae sanciat, omnes idem sentiant. Nunc de Mortalium iure, de Comitaturus est. Dicas virum vatem fuisse, & scripsisse in hoc æuum. AvD. Hercules acu rem tetigit; & doleo infelicitatem nostri æui, quo innouare, turbare, pugnare, Pietatis species fit. ipsa Sanctitas autem (apud hæreticos dico) disputare, & Scripturæ locos aliquot pro impio & damnabili sensu conglobare, & contra vniuersam & vernerandam antiquitatem interpretari. Assiduè (prò dolor!) audiendus nunc fanaticus aliquis, aut simulator pietatis, qui mouet χορδὰς τὰς ἀκινήτους, chordas non mouendas. semper Euenus, qui*

*Hæreticorū pietas, innouare, turbare, pugnare:*

*sanctitas, disputare:*

Euripid.

*Ἐκ παντὸς ἀν' ἧς πράγματος διαστῶν λόγων  
Ἀγῶνα θεῖτ' ἀν', εἰ λέγῃσιν εἶναι σοφός·*

*De re quacumque orationis duplicis  
Certamen excitat loquutor callidus.*

Et videtur fatalis hodie ista ingeniorum scabies, vt omnes disputare malint quàm benè viuere. L I P S. Ita est, & velut à cælo, & vt dixerim, astro aliquo, est hæc pestis. Atque vt corporum quidam morbi certis temporibus interueniūt:

fic nunc iste animorum. Viri, feminæ, senes, pueri, quæ-  
ftiunculis ludunt & lasciuiunt: eoque ventum, vt pro pa-  
rum sano sit, qui non sic insanit. Mysterium Theologia  
erat, facta est populare oblectamentum. Vis imaginem

*quod sine discrimine viris, feminis, pueris concessum:*

Histor.  
lib. xi.

claram huius infanix? Nicephori Gregoræ ista lege: *Apud nos etiam opificibus effusa sunt arcana Theologia, atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & sermonibus syllogisticis, vt herbae & pascuis armenta. Et illi, qui de rectâ fide ambigui sunt, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit illud quod credere se dicunt, illi inquam & fora & porticus, & theatra omnia Theologia compleuerunt, neque solem hunc testem facere impudentia suæ reuerentur. Quomodo autem non sit absurdissimum, olim cum florent Gentilium dogmata, ordinem aliquem fuisse, & arcana quæ Delsorum Theologis commissa erant, nulli alij vel edicere vel indagare licuisse, siue is Plato, siue Socrates, aut alius sapientiâ cele-*

*sed & hoc, tempore Nicephori, fuit in Graciâ.*



bris fuisset: apud nos verò, qui purum pietatis mysterium  
 profitemur, ita profanari res divinas, & omnibus, qui de  
 Theologia differere volunt, id licere suopte arbitrio & suf-  
 fragio? Hæc olim in Græciâ fuere. quando? cùm paul-  
 lō post ruit. His enim & statum publicum turbant, &  
 se ipsos in æternum exitium præcipitant. Et pro hac  
 meâ mente D. Hieronymus: Agricola, cœmentarij, fa-  
 bri, metallorum lignorumque cafores, lanarij, fullones; id-  
 circò dum sacros libros, ut rastra sua & malleos versant,  
 nullo ingenio, nullâ ope diuinâ adiuti, in extrema se ani-  
 marum præcipitia miseri agunt. Et quantum temporis et-  
 iam peritioribus inter illos verborum illa cavillatio eri-  
 pit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exer-  
 cent? Nectunt nodos, & soluunt; id est, quid nisi ara-  
 nearum subtiles telas texunt & retexunt? Sicut pueri  
 pilam percutiunt, sterili voluptate: sic isti. Et tamen  
 alti & subnixi ambulant *μεῖζον τινα ἢ κατ' ἀνθρώπων σοφίαν*  
*σοφοί*, maiorem quàm pro homine sapientiam sapientes: & quod  
 Socrati obiectum olim, *περὶ ἐπὶ τῶν ἄνω τε καὶ ὑπὸ γῆν*  
*καὶ τὰ ἐπεράνια*. satagunt inquirentes & quæ terram infra,  
 & quæ calum supra. Et cùm omnia fecerint, miselli  
 prætereunt ipsi sese. Reliqua sciunt, illud vnum quod  
 scitu necessarium nesciunt, vt se sciant. Bonos singu-  
 li sese pronuntiant, auscultantes adulatoribus, non  
 conscientia. quidquid assentatio sine pudore congerit,  
 tamquam debitum prendunt. aliena vitia in oculis ha-  
 bent, à tergo propria. si

sed paulo ante interitum;

D. Hieronymus etiam damnat;

Et reuera sterili volu- ptate ita sapiunt;

se ipsos prætereunt.

Singuli se bonos & beatos pronuntiant;

alios male vivere volunt;

omne peccatum à se remouentes.

Epist. ad Paul.

Manuduct. lib. 1. dist. 3. Senec. epist. 45.

Cent. 1. Miscell. epist. 59.

Plin. epist.

Proverb. 26.

populus sanos recteque valentes

Dicitet, occultam febrem sub tempus edendi

Dissimulant, donec manibus tremor incidat vntis.

Alienæ luxuriæ nihil ignoscunt, qui nihil suæ negant:  
 cùm bonus & Catholicus ceteris ita ignoscit, tamquam  
 ipse quotidie peccet; ita peccatis *ἀσινετ*, tamquam nemini  
 ignoscat: veniam maximè negant, qui illam petere, sæ-  
 pius meruerunt. Mones, obiurgas, pungis? Sapien-  
 tior *σὺ* sibi stultus videtur septem viris loquentibus sententias. sta-  
 tim audies, Nihil peccaui, nihil feci. O vitium fœ-  
 dum!

dum! ô malorum omnium fontem! hoc enim vbi animinum inuasit, quavis scabie insanabilius est. Et nisi prius extirpetur, numquam hæresim relinquent aut rectam veramque fidei viam & virtutis ingredientur, aut conabuntur videre salubria & gustare. Vidit Phi-

*Atque idèd  
difficile vedu-  
ci possunt ad  
S Ecclesiam.*

Sen. epist.  
xxiix.

losophus magnus qui scripsit: *Deprehendas te oportet, antequam emendes. Qui peccare se nescit, corrigi non vult.*

a Cent. 1.  
Miscell.  
epist. 97.  
b Cent. 2.  
Miscell.  
epist. 8.

Et hæc illa causa est cur Ecclesiam Catholicam audire nolint. <sup>a</sup> & hoc fulcro qui non innixus, necessum est in partes semper ruat; <sup>b</sup> vt naus quæ inter fluctus

*extra quam  
omnes per-  
eunt.*

sine clauo iactatur, sic homines qui in hac vitâ sine verâ fidei gubernaculo. Possent hîc quædam apposere & verè: sed Megarensis ille Sapiens mihi inelamat, *Προειπύτων ἐν ἐν ὁδῶν. Platonemque infusurrare audio: Οὐτοίχα οἱ λόγοι χαλεποί, difficles, & cum discrimine, hi sermo-*

*Sed Lipsius  
ultra non  
progreduur;  
quia pericu-  
losi isti ser-  
mones,*

Cent. 1.  
Miscell.  
epist. 88.

nes. Quod oraculum in hoc quidem æuo. Vt enim eadem purpura homines delectat & ad gaudium prouocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: sic nunc eadem Veritas aut Virtus intelligentes capit, lædit improbos & imperitos. A v d. Attamen, vt cum Menandro hoc dicam,

Menander.

*Αἰεὶ χράτιστόν ἐστι τὰ ἀληθῆ λέγειν  
Ἐν παντὶ καιρῷ.*

*Semper que vera sunt loqui, res optima est,  
Quodcumque tempus incidat.*

Cent. 3. ad  
Belg. ep. 55  
Cent. ad  
Germ. &  
Gall. Præ-  
fat.

LIPS. Rectè, at alienos fines ego iam non transcendo. Infelix hoc æuum est, cui subsidia opus eruditorum & piorum virorum, quibus vis ingenij & oris adest, & in concussio hoc rerum statu velut noua munimenta, qui moueant, doceant, persuadeant; moribus, vitæ probitate & exemplo præcant. Vt cælo sereno & mari quieto, minor cura aut inquisitio de gubernatore est; quibus panè sufficit; at turbido hoc & illo, virum naus quærit, veterem clauo & peritum: sic nunc dixerim; in procellis nimbisque quibus Religio iactatur, magni interesse, quem in curam tutelamque eius accersi videamus. A v d. Sed quis ille tam

*& Theologia  
competunt:  
quos eru-  
ditos & pios  
huic æuo  
oportet, & qui  
errantes re-  
ducere pos-  
sunt;*

*quod difficile  
omnino,*

Sf 3 peri-

peritus, qui tollat hæc talia quæ sensibus insident? Omnibus enim

— θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι ἀπίστος.

— incredula peccore mens est.

ubi pietatis  
opinio acces-  
sit.

Medici aiunt Melancholicos morbos (tu sensisti Magne vir) medicinâ omni efferari: idem in isto animi morbo est, quem verè μελανχολίαν dixeris, & imaginofum quemdam animi morbum. Natura contumax & humanus animus, & præsertim in re hac sensuum, cum opinio accessit pietatis. Galeni verbis appositè utar: Οὕτως ἄρα δυσαισθητέον τι κακὸν ἔστι ἢ πρὸς τὰς αἰρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψόρα ἀπάσης δυσαισθητέον. Adè contentio hæc circa sectas malum est, quod nec auertas facillè nec eluas, idque omni scabie insanabilis.

Videndum  
tamen &  
non despe-  
randum,

LIPSI. Scio cum prudentissimo Cornelio, naturâ infirmitatis humana tardiora esse remedia quàm mala: & ut corpora lentè auferunt, citò extinguuntur, sic ingenia humana studiaque faciliùs seduci & vanâ opinione imbui, quàm reuocari;

vita Agri-  
col.

— tamen utile quid sit,

Iuuenal.

Prospiciunt aliquando viri. —

Non ut in agro satis est semel sementem iecisse, & ille accipit, fouet, profert; sic in animis: qui quotidiano, ut sic dicam, vomere profcindendi & obserendi sunt, ad meliorem illam frugem. semper, inquam, curandum ut verbis factisque ad meliora traducas. AVD. Mi Doctor, ut ij qui morbo aliquo grauiori premuntur, suauitatem cibi præ stupore non sentiunt: ita aures sensusque illorum maliuolæ falsitati & turpibus calumnijs assueti, insolentem suauitatem Veritatis non ferunt. Boëtius vidit, cum illa scriberet,

quatinus ipsi  
reluctentur,

Hæc venena potentiùs

Boëtius,

Detrahunt hominem sibi

Dira, quæ penitus meant,

Nec nocentia corpori,

Mentis vlcere sauiunt.

sed successiud, LIPS. Et illa scio. Nec in primo statim aggressu omnia ad

ad

ad votum animumque succedent, expectandum est, & sæpius idem tentandum. Ut viam acerbam non statim abscindas aut reijcias, sed patienter expectes,

Horat.

— *um tibi liuidos**Distinguat Autumnus racemos**Purpureo varius colore :*

ita hîc fiat. Ecce in fidibus siquid discrepat, non ab-rumpis statim, sed paullatim reducis ad concentum : in Fidei dissonantia, cur non idem ? Audi Medicorum

Hippocrat.  
in Præcept.Principem : *Χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ Καρῆς, καὶ Καρῆς ἐν ᾧ Χρόνος. ἀνεσις**Χρόνος, ἐστὶ δὲ ἡμῶν καὶ Καρῆς. Tempus est in quo Occasio : & Oc-*r. De Cle-  
ment.*casio in quâ Tempus. Medela Tempore, est etiam ubi Occa-**sione contingat. Ingenia nôstra, ait Seneca, ut nobiles equi,**Et tempore oportuno, comiter non asperè:**meliùs facili fræno reguntur. Et equorum domitores,**ferocientes eos non flagellis exasperant, sed popysinis**blandè tractant & demulcent : Ac in erroneis. Benignè**cum illis agatur & comiter, ut clarum & lucentem so-**lem tandem in animum immittant, & confiteantur**errasse. Deferuescunt enim animi paullatim ; & affe-**ctum Veritas ac ratio sæpè serò vincit. A V D. Utinam**Et sufficit, si vel in hora mortis resipiscant.**LI P S. Initium est salutis, notitia peccati, ut ipse voluptatis*Epicurus  
apud Sen.*Magister ait. Et*Seneca  
Agam.*Quem pœnitet peccasse, pœnè est innocens.**Sed ego abiungo ; μὴ κοεὶς ἐλθὼν κολῆν. ne satietas adue-**niens grauis ac molesta sit, ut ait Pindarus. Tu ô beni-**gne ( nam voto & suspirio sermonem hunc finio ) &**miserator,**Sermonis finis, & precatiuncula pro salute & resipiscentiâ errantiû.*

Sannaza.

*Nate Deo, Deus ipse, aeterno è lumine lumen,**qui curam semper Ecclesiæ tuæ, tuæ sponsæ geris, di-**uifa hæc iunge, malè sentientes corrige, praua hæc &**nouitia opinionum pelle, calamitatem & cladem non**Belgiæ sed Europæ, & effice, ut multitudinis creden-**tium sit cor vnum & anima vna. A V D. Et ego illos**causamque hanc Omnipotenti DEO scrutatori cor-**dium commendo : quem quidem ex animo precor**Da Deum, misericors Pater.**ut nobis tantisper gratiam suam impartiri velit, quâ*

ante

Cent. ad  
German. &  
Gall. Præ-  
fat.  
Act. Apost.  
cap. i. v.

ante extremum remunerationis diem in vnam sententiam conspiremus: & vt sic tandem aliquando in caelo, vbi nulla erit iniuriarum memoria, sempiternâ amicitia perfruamur. Annue, ô Rex Regum,

ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος ἡας Ἀχαιοῶν,

Homerus.

Ποίησον δ' αἰθέριον, δὸς δὲ ὄφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

libera de caligine filios Achiuos,

Fac verò serenitatem, da autem oculis videre.



CAN.

329  
CANDIDO LECTORI

BALTHASAR MORETVS

S. P.



AMAE POSTVM AE *το μακαριε*  
*nostri, benivole Lector, corollarium*  
appono, OPERVM numquam  
*satis laudatorum Indicem; sed eo-*  
*rum, quae ipse vivus in aeterna Me-*  
*moriam templo dedicavit: nam quos*  
*nuper pessimo exemplo Germania libellos edidit, mi-*  
*nime profecto germani sunt; nec hic meum, sed LIPSI*  
*elogium exaudiri desidero, serio olim testantis: NIHIL* Ad Lect.  
MEVM EST, AVT ERIT, QVOD NON DE libb. de  
AVTOGRAPHO MEO, ET ME VOLENTE, Cruce.  
SIT EXPRESSVM. Quicumque aliter (*libens,*  
*in ipsius causa, verbis eius insisto*) mihi iniuriam  
facit, *Lectori fucum.* & porro exclamat: Deus  
bone, haec monenda publice esse? Ecce in  
bona opesque externas, ius est non viuo  
mihi solum sed mortuo, & solatium fati  
est voluntas ultra fatum: in istis animi &  
ingenij verè bonis non idem erit? *atque huic*  
*voluntati sua firman* Principum opem innocat,  
*Lectorum gratiam:* Reprimite Principes qui  
potestis, & vos Lectores quà potestis: illi  
T t pu-

puniendo, vos spernendo. At verò typographi Germani facinus aliquis excuset, & nonnulla (neque enim omnia ipse Linor aut Malignitas asserat, cum Goldastus impia Orationis Jenensis auctor dudum innotuerit) è LIPSII dictantis ore excepta pratendat.

Ad Lect.  
libb. de  
Cruce.

Quid, nisi iterum pro se loquentem induxero? Dictauimus fortasse. sed ò imperitiam! quasi edendi illo fine. Reuerentior posteritatis sum: & aliud scio esse Schedia, aliud Opera; nec subitaria hæc nostra dedicanda in Memoriae templo. Quid, quòd alij grauius etiam peccant? qui excipiunt aut intercipiunt dicta aut oratiunculas nostras, & in contumeliam mei diuulgant. Quid ad hæc Lector? num assentis suam non minus verè quam fortiter causam peroranti? Ego certè, dictionis huius purpura, verborum meorum laciniam haud attexo. Saluere te cupio, & hunc Operum Indicem bono tuo perlegere; non meo vnus sensu, sed ex formulâ, quam olim ipse Auctor mihi præiuit, concinnatum.

\* Hæc  
scripsi  
anno M.  
DC. XIII.  
at ille re-  
cusatus est  
M. DC. XV

Quod superest, nescire te nolim: Opera eius è typographico Plantiniano iam omnia in lucem prodidisse, prout postremum vel auxit vel recensuit, solo in Senecam Philosophum Commentario excepto; quem paullo ante mortem corrigere coeperat, & futurae editioni preparare. sed & hæc, et se paucioribus emendatum vel auctum locis, à prælo Plantiniano max expectabis.

Porro

Porro edendorum operum eam iampridem formam  
 selegimus, qua viuo Auctori pra aliis placeret; qua  
 & melioris litteraturae candidatis commodior, nec  
 publicis privatisq; Bibliothecis esset indecora: adè ut  
 singulos quisque libros sibi comparare & facile cir-  
 cumferre possit; eosdemq; si Bibliotheca sua orna-  
 mentum uniuersos esse velit, maiorem tamen editio-  
 nis amplitudinem meritò haud requirat. In Tacito ni-  
 hilominus & Senecâ, quia grandius singuli volumen  
 efficerent, augustiorem folij formam spectauimus;  
 quam & in reliquis aliquando recudendis, cum bono  
 Deo, addicimus, si hanc deinceps alteri praferendam  
 Lector censeas. Iterum salue, & faue.

## INDEX OPERVM. IVSTI LIPSI.

**P** R I M V S Tomus CRITICVS est, complectiturque  
 Opera omnia quæ ad Criticam propriè spectant.  
 quorum hic ordo est:

Variarum Lectionum Libri tres.

Antiquarum Lectionum Libri quinque: in quibus  
 varia Scriptorum loca, Plauti præcipuè, illu-  
 strantur aut emendantur.

Epistolicarum Quæstionũ libri quinque: in quibus ad  
 varios Scriptores, pleræq; ad T. Liuium, Notæ.

Electorum Libri duo: in quibus, præter Censuras,  
 variij prisçi Ritus.

T t 2

Ad



Ad Valerium Maximum Breues Notæ.  
Animaduersiones in Tragœdias quę L. Annæo Senecæ tribuuntur.

Iudicium de Consolatione Cicerōnis.

Satyra Menippæa. Somnium. Lusus in nostri æui Criticos.

*Tomii huius appendix,*

De rectâ pronuntiatione Latinæ linguæ Dialogus.

*Secundus* EPISTOLAS continet: quarum decem sunt

CENTVRIAE:

Miscellanæ quinque: è quibus Quarta & Quinta Postumæ.

Centuria singularis ad Italos & Hispanos.

Centuria singularis ad Germanos & Gallos.

Centuriæ tres ad Belgas.

*Tomii huius appendicula,*

Epistolica Institutio, excepta è dictantis ore, atque ipso approbante edita.

*Tertius* ad PRVDENTIAM ducit, utpote HISTORICVS; & ANTIQVITATEM omnem, maximè ROMANAM, variè illustrat.

De Militiâ Romanâ Libri quinque: Commentarius ad Polybium.

Poliorecticōn, siue de Machinis, Tormentis, Tellis, Libri quinque.

Admiranda, siue De Magnitudine Romanâ, Libri quattuor.

Saturnalium Sermonum Libri duo, qui de Gladiatoribus.

De Amphitheatro Liber: in quo forma ipsa Loci expref-

expressa, & ratio spectandi.

De Amphitheatris quæ extra Romam Libellus. in  
• quo formæ eorum aliquot & typi.

De Vestâ & Vestalibus Syntagma.

De Bibliothecis Syntagma.

De Cruce Libri tres, ad sacram profanamque hi-  
storiam vtilis.

Diua Virgo Hallensis. Beneficia eius & Miracula  
fide atque ordine descripta.

Diua Sichemiensis, siue Aspricollis. Noua eius Be-  
neficia & Admiranda.

Reiectiuncula Sannionis cuiusdam Bataui.

Louanium, siue opidi & Academię eius Descriptio.

*Quartus item HISTORICVS: in quo,*

C. Cornelij Taciti opera quæ exstant, emendata  
& Commentariis illustrata.

Dispunctio Notarum Mirandulani Codicis ad  
Corn. Tacitum.

C. Velleius Paterculus cum Animaduersionibus.

*Quintus propriè ad PRVDENTIAM & Ciuilem Do-  
ctrinam pertinet:*

Politicoꝝ siue Ciuilis Doctrinæ Libri sex, qui ad  
Principatum maximè spectant.

De vnâ Religione aduersus Dialogistam Liber: in  
quo tria Capita Libri quarti Politicoꝝ expli-  
cantur.

Monita & exempla Politica. Libri duo, qui Virtu-  
tes & Vicia Principum spectant.

Leges Regiæ & Leges Decemuirales.

Dissertatiuncula apud Serenissimos ALBERTVM

T t 3 &

& ISABELLAM Belgarum Principes.  
 Commentarius in C. PlinI Secundi Panegyricum  
 Traiano dictum.

*Sextus ad SAPIENTIAM spectat:*

De Constantiâ Libri duo, qui alloquium præcipuè  
 continent in publicis malis.

Manuductionis ad Stoicam Philosophiam Libri  
 tres, &

Physiologiæ Stoïcorum Libri tres, L. Annæo Se-  
 necæ, aliisque Scriptoribus illustrandis.

*Septimus, isq; ultimus Tomus, pariter ad SAPIEN-  
 TIAM: in quo,*

L. Annæi Senecæ opera quæ exstant, emendata  
 & Scholiis illustrata.

**N**ON te dimitto Lector; sed obiter monco, plura  
 à fecundissimo LIPSI ingenio manasse, quæ in  
 Operum suorum numerum adscribi noluit. utpote  
 Antiquas Smetij Inscriptiones insigniter au-  
 xit: Titi Liuij primum Historiarum librum  
 egregiè restituit: Iulii Cæsaris Commentarios  
 accuratissimè emendauit; cui opera nec suum inscribi  
 nomen passus est, satis superq; fecisse arbitratus, si pu-  
 blica utilitati, & præstantissimi Scriptoris gloria,  
 non sua studisset. Insuper commodiorem Tomos  
 hos compingendi rationem libens suggero. Nam cum  
 Tertius multò maior sit, quàm qui uno volumine  
 coarctetur; trifariam bibliopegus eum diuidat, &  
 primâ parte Militiam Romanam & Polior-  
 ceti-

cetica, *secundâ* De Magnitudine Romanâ,  
 De Gladiatoribus, De Amphitheatris, De  
 Vestâ, & De Bibliothecis, *tertiâ* De Cruce,  
 Diuam Virginem Hallensem & Sichemien-  
 sem, Reiectiunculam Sannionis, & Loua-  
 nium coniungat. qua ipsa Tertij Tomi partitio, à  
 dictâ formulâ quam Auctor praeceperat, minimè  
 abscedit. Secundi Tomi si cui nimia etiam moles  
 videbitur, bifariam eum partiatur; & priori parte  
 quinque Miscellaneas Centurias, alterâ quin-  
 que reliquas cum Epistolicâ Institutione  
 comprehendat. Aliud haud volebam. At num li-  
 ceat bonâ tuâ veniâ Lector, exiguum PLAN-  
 TINI & MORETI monumentum hîc apponere,  
 quorum operâ & typis immortalia diuini ingenij  
 Opera publicam lucem aspexere? Si importunè for-  
 san (prout aui huius iudicia sunt) atque indecorè à  
 me fiat; in auum & patrem pietas nepotem & fi-  
 lium excuset. at verò pij LIPSI Manes hac ipsâ  
 virorum sibi amicissimorum memoriâ scio gaude-  
 bunt, cum PLANTINVM alterum se vocare  
 olim soleat, MORETVM optima semper fidei  
 amicum sit expertus. Itaque Epitaphiam vtrius-  
 que Inscriptionem, nec prorsus temerè subiungere  
 mihi videor; nec te illibenter, saltem quam ipse  
 LIPSIVS PLANTINO scripsit, lecturum  
 confido.

T t 4

Epita-

Epitaphium CHRISTOPHORI PLANTINI,  
 quod in Cathedrali DEIPARÆ æde Antuer-  
 piæ legitur, sub tabulâ CHRISTI iudicantis, à  
 Iacobo de Backere, eleganti artifice, depictâ.

D. O. M. SACR.

CHRISTOPHORO PLANTINO TVRONENSI,

CIVI ET INCOLÆ ANTVERPIANO,

ARCHITYPOGRAPHO REGIO,

PIETATE, PRVDENTIA, ACRIMONIA INGENI MAGNO,

CONSTANTIA AC LABORE MAXIMO:

CVIVS INDVSTRIA ATQVE OPERA, INFINITA OPERA,

VETERA, NOVA,

MAGNO ET HVIVS ET FVTVRI SÆCVLI BONO,

IN LVCEM PRODIERVNT:

IOANNA RIVIERA CONIVX ET LIBERI HEREDESQVE,

ILLA OPT. VIRO, HI PARENTI,

MOESTI POSVERVNT.

TV QVI TRANSIS, ET HÆC LEGIS, BONIS MANIBVS

BENE APPRE CARE.

VIXIT ANN. LXXV. DESIT HIC VIVERE

KAL. QVINTIL. ANNO CHRISTI CID. IO. XXCIX.

337

Epitaphium IOANNIS MORETI, quod in dictâ  
æde & vrbe legitur, sub tabulâ CHRISTI re-  
surgentis, quæ est à peritissimâ Petri Paulli  
Rubenl manu.

CHRISTO RESVRGENTI SACR.  
IOANNI MORETO ANTVERPIENSI,

MAGNI PLANTINI GENERO,  
EIVSDEM VIRTVTVM ATQVE ARTIVM  
LABORIS ET CONSTANTIÆ HEREDI:

QUEIS IUVENIS SENESCENTEM SOCERVM IUVIT,  
VITA FVNCTVM SVPERSTES EXPRESSIT.

PVBLCICE VTILISSIMVS, PRIVATIM BENIGNVS,  
PASSIM MODESTVS, PROBVS, PRVDENS,

OMNIVM BONORVM ELOGIO BONVS,

VIXIT, PRÆCLARVM SVIS HONESTI EXEMPLVM,

ANNOS LXVII. MENSES IV.

OBIIT, INSIGNEM IN DEVM PIETATEM TESTATVS,

X. KAL. OCTOBR. M. DC. X.

MARTINA PLANTINA,

OPTIMO MARITO CVM LACRYMIS OPTIME APPRECATA,

SIBI ET POSTERIS MORTALITATIS MEMOR

P. C.

CENSURA.

**Q**UOD Iustum Lipsium, virtute & doctrina immortalē, orbi heu pridem ereptum, Fama hæc postuma dignè ac pro meritis celebret, eumque à detractorum calumniis vindicet; digna est quæ vtrumque Orbem circumuolet, & emeritum LIPSII nomen ad feros nepotes transmittat.

*Laurentius Beyerlinck S. Theolog. Licent.  
Canonicus Antwerp. Librorumq; censor.*

SVMMA PRIVILEGII.

**A**LBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austria, Ducum Burgundiæ, Brabantia, &c. Priuilegio cautum est; nequis IUSTI LIPSII FAMAM POSTVMAM, præter Balthasaris Moreti voluntatem, vllō modo imprimat, aut alibi impresam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ, xvii. Ianuarij, M. DC. XI.

Signat.

*S. de Grimaldi.*

Et in Concilio Brabantia,

*I. de Buschere.*

*Collegij Societatis IESU Paderbornæ*

*1636*





CELESTIA

QUINTA

DE

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...




Signal


...

...

...

...









X<sup>o</sup>

Th  
6047



Liber  
de

defensio

Liparis

P VI

5